VOPISCI FORTVNATI
PLEMPII
AMSTELREDAMENSIS

Artium & Medicinæ Doctoris atque ejuſdem in Academia Lovanienſi Profeſſoris Primarij

DE

AFFECTIBUS CAPILLORVM ET UNGUIUM
TRACTATVS.

APOSPASMATION LIBRI SVI

De particularibus externis corporis humani affectibus.

AD

Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Virum
D. THEODORVM SKVMINOVIVM
Epiſcopum Gratianopolitanum.

LOVANII,
Typis & ſumptibus HIERONYMI NEMPÆI
Anno 1662.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
DOMINO
THEODORO SKVMINOVIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPO
GRATIANOPOLITANO
Sanctiſſimi D. N. Pont. Max.
PRÆLATO DOMESTICO,
ET ASSISTENTI.
PER ALBAM RVSSIAM
SVFFRAGANEO.
CANTORI PRÆLATO VILNENSI &c.
V. F. PLEMPIVS gaudere & benè rem gerere.

TOt terris peragratis, tot populorum moribus perſpectis, tot viris doctis, illuſtribus, ſummatibus cognitis, belli Poloniæ inteſtini calamitatem declinans, tandem

apud Grudios biennium consides, & Academiam hanc nostram dignitatis Tuæ splendore illustras. Hic ad Te, Dignissime Præsul, Doctorum præcipui lubentes & frequentes visunt, de scientiâ quâlibet disserentem audiunt, abstrusa disquirentem mirantur. In his ego nomen profiteor meum; qui quoties admissionem dedisti (dedisti autem, quæ Tua est facilitas, mihi sæpiusculè) toties polymathiam Tuam suspexi, colui. Vt alia taceam, dum de tricis capillorum Russicis verba faceremus, diceremque *VVillielmum Davissonum* Scotum, Regis vestri ac Reginæ Archiatrum, existimare & ausum esse scribere, affectum illũ pilorum esse imaginarium, superstitiosum, fabulosum: indignè primùm id ac-

id accepisti; deindè meam advocationem pro gente Tuâ fortissimâ flagitans, ut isti nobili Scoto responderem, instimulasti: quod quidem, & omne hujusmodi bellum libenter à me militatur, in vestræ spem gratiæ: ac fateri debeo, panopliam me seu armaturam integram à Te mutuatum esse; tam enim disertè, enucleatè, dilucidèque naturam trichomatis, quam *Plicam* vulgò vocant, mihi explicasti, ut Medicus peritius possit nullus. Id quod luculentè ostendit elegans & perdocta epistola Tua hic subjuncta, è qua velut Leonem ex ungue, variam atque abundantem Tuam doctrinam eruditionemque animadvertere cuivis licet. Ergò animum manumque Tuo ductu ad scribendum appellens confeci apolo-

giam pro natione vestrâ. Hæc quia tenuis nimis erat & exigua, quàm ut sola ederetur, integrum de omnibus capillorum vitijs tractatum conjunxi, quem Illustriss. nomini Tuo dico, consecro, ac velut mnemosynon mei offero, ut constet posteris, nobilissimæque Tuæ genti, me dignitatis Tuæ & gratiæ fuisse præsignem æstimatorem & cultorem. Vale: feliciterque, jam abiens, ad Tuos reverte, ac diu Ecclesiæ Dei Regique Tuo vive. Quod ut fiat, vota facere non cessabo. Iterùm & supremùm vale. Scripsi Lovanij die VIII. Octobris CIϽ.IϽC.LXII.

CLARIS-

CLARISSIMO
EXPERIENTISSIMOQVE VIRO
VOPISCO FORTVNATO
PLEMPIO
DOCTORI ET PROFESSORI MEDICINÆ
IN ACAD. LOV. PRIMARIO

T. S. E. G. benè & sibi & alijs valere.

IN *nupero nostro colloquio, quod de tuendâ meâ valetudine, hoc opportuno anni tempore habui tecum* vir Clarissime, *cùm de varijs morborum symptomatibus, eorumq; medelis te audirem, incidit etiam occasio de Plicâ discurrendi, affectione multorum in Poloniâ periculosâ, adeoq; pertinaci, ut Doctißimorum etiam opiniones huc usque, sed etiam nunc eludat: & cum de illius circumstantijs loqueremur, ecce novum, verè novum Caledonij fætum ingenij, audire mihi licuit.* Dixisti vir Clarissime *Medicum aliquem Scotum nuper scripsisse de Plicâ, eiusq; non aliam dedisse causam, quam pectendi capillos negligentiam, & ut sensibili obiectioni respondeat, cur in sectione Plicarum sanguis quandoque videatur, vermium illum esse in capillis scaturientium, quos Heinsius non ita pridem singulari elogio honoravit. Si ignarus rerum scripsit; condolendum: sed turpè est Doctori: si prudens, retundenda calumnia plurimis Plicâ laborantibus famosa: sed viderint alij. Nisi fortè fucos etiam venditare Nationi concedatur, quæ*

Per Mare pauperiem fugiens,

in Poloniâ paßim quærit quid devoret, vicos oberrans. Viro tamen prudenti tam insolens dicendi licentia minimè conceditur, cuius non in quæstu fides, sed rei evidentia esse debet: eaque demonstrari scientificè, ut ab homine Doctore, more solito aliarum rerum sensibilium, ut potiùs rem per causam, quam causam per rem intelligamus. Et certe multos vel scelus fingit, vel invidia etiam doctißimis supponit nævos, quos non detegit nisi tempus, vel purgata innocentia: quandoque tamen præsumptionem augere potest vel hominis, vel gentis conditio: uti de Scoto fortè clitellario,

Cui fibula cultellusque supellex.

patriota

patriota suus Ouenus

Qui modo venisti nostram Mendicus in urbem,
Paulum mutato nomine fis Medicus.

Popularibus autem illis, etiam perfidiâ in Principem, lucrum quærere, funestus Regis optimi exitus non ita pridem comprobavit. Annales nostri & qui Plicæ circumstantias penitius introspiciunt, aliam eius dicunt originem. Florus Ioachimi Pastorij Polonicus Libro 2 cap. 14. narrat tempore Lesci Nigri Poloniarum Principis in Russiâ à transeuntibus Tartaris, immissis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas, nova morborũ genera peperisse, quorum ut causa diu fefellit Medicos, ita soboles hodieq; in inexplicabili tricarum contage, quam Plicam vocant, creditur vulgò superesse. *Huius Tartarici sceleris meminit etiam Spondanus (Bzovium, Cromerum, Dlugoßium, & alios qui historiæ Polonæ vacarunt, prætereo) Anno 1287. num. 10. [cæterum, inquit, ne Rußi quidem quanquam socij, prorsùs expertes malorum à Tartaris fuêre; nam excessuri illi è Rußiâ, ut est malitiosum hominum genus, atque incantationum & veneficiorum gnarum aquas omnes infecerunt, exsectis captivorum cæsorum cordibus, & præsentißimo veneno imbutis, ac verubus subter aquas defixis: undè plurimi mortales, cùm seriùs mali causa animadversa esset, miserabiliter extincti sunt.] Non facit quidem hic Plicæ mentionem, sed concors in Rußiâ traditio approbat Plicam ab infectis illis aquis derivari: adiuvante etiam fortè regionis temperamento, ut apud plerosque illius tractûs incolas hæc affectio sit malum quasi hæreditarium. Sic aquarum qualitas Styriaca dicitur generare strumas. Et cibos potusq; per sui digestionem, & continuam novi humoris accessionem alterare nostra corpora, plusquam certum est: sic de venenatis hominibus, qui serpentibus ad ultimos Ægypti recessus vescuntur, à multis traditur. Humor autem ille nocivus, pro varietate temperamenti in varijs corporibus varius, si fortè largius in aliquod influxerit, facilius totum corpus pervagabitur, ac ad ipsum radicale pertinget, & velut in lebete aliquo, calore nativo coctus, crassesset, concrescetq; corpori, tantò difficiliùs expellendus, quantò solidiùs firmatus. Quod si novo aliquo calore, eoq; forti premetur intus, diffundi quandoque & evaporare poterit: ideò qui ab infantiâ hoc Plicæ malum sentiunt, plerumque (non semper quidem ob defectum caloris debiti, sed plerumque) in adolescentiâ à Plicâ liberantur; illa enim ætatis temperies, caloris conservationi accommodatißima, decoquit superflua, & necessarium tantùm tuetur ac fovet temperamentum. In senibus autem difficilior curatio: nisi ob defectum nocivi humoris, vel propter exiguitatem sui lentè evanescentis, vel cibo sibi, aut aëre contrario sese dissolventis: sic Plicâ laboranti caput radere in Poloniâ, letale: in Tartariâ verò, si quis plicatus in eorum captivitatem devenerit, rasura minimè nocet, bonitate climatis interveniente, vel inopiâ ciborum, laborumq; aßiduitate & sudorum accedente. Hæc caloris nativi variatio, variat etiam Plicæ genus; alia enim*

Mascula,

Mascula, alia fæmina dicitur. Denominatio talis à ratione non deviat, cum solers naturalium indagatrix antiquitas, differentiam quasi sexus, arboribus etiam nonnullis, plantis, lapidibusq; affinxerit. Quæ fæmina, totum patientis horribili spectaculo involvit caput, ut non tàm capilli, quàm villosus aliquis pileus, congenitus homini videatur: talis, quia ex nimiâ humoris fortè viscosi abundantiâ, & debiti caloris defectu oritur, curatio plerumque desperata. Sed mascula, quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum plicaturas habet, licet & illa ad scita hactenùs medicamenta maximè contumax, sæpè tamen sponte suâ, consumpto fortè per calorem humore nocivo, decidit, & patientem à doloribus & molestijs absolvit. Sed neque hoc perpetuum, ut vermes supranominati semper Plicæ adhæreant: Multos vidi laborantes Plicâ à vermibus his immunes: inter alios Virum Nobilem Polonum, Petrum Michaëlem Niesmierski nomine, ferè sexagenarium in Albâ Russiâ mihi vicinum, cui capitis pars superior Plicâ fæminâ, ad instar pilosæ pyramidis implicata, nullum unquam habuit pedunculum: imò num à vermium illorum molestiâ, quandoque vexaretur interrogatus, constantissimè negabat, eamq; occultam sibi tricarum illarum dicebat qualitatem, ut si vivus aliquis de simili specie vermis, acceptus aliundè, Plicæ relinqueretur impositus, necessariò moreretur. Sive vis humorum illi contraria fuerit, sive mercurius, pediculis secundùm multorum experimenta noxius, quo ille maximè quondam, ob ignorantiam morbi (totus enim antequam malum in Plicam emergeret contortus, alterius affectionis pro se ferebat genus) curabatur, capillos virtute suâ tinxerit, ignotum fuit omnibus: & secundum, mihi maximè dubium, cùm illa medicamina ante viginti & amplius annos sumpta, loci, ciborum, ætatis mutatione debuissent evanuisse. Tum quod etiam in defectu mercurij, humor aliàs vitiatus, & igne nativo calefactus, si nimium sit acer, & adustus ac erodens (qualis est materia elephantiasis: experientiâ verò constat elephantiacos non esse pediculosos) gignendis pediculis sit ineptus. Aldrovandus L. 5. de Insectis addit, Humorem talem adeò esse naturæ animantium inimicum, ut nec mures, nec muscæ eum gustare audeant, quin instar aceti terram fermentet, teste Medicorum Corypheo Galeno, *talis autem humor Plicâ etiam laborantibus, pro temperamento patientis potest contingere. Quod igitur dixi à veneficijs Tartarorum hoc Plicæ malum originem ducere, certissimum est. Sed & hoc considerandum: in remotissimis quoque à Russiâ Rubrâ (cuius aquæ, ut dictum, infectæ) regionibus, centum & amplius milliaribus germanicis ab ea distantibus hominibus etiam illis, quibus nullum cum Russis, sibi vel maioribus suis commercium intercedebat, hoc malo torqueri sæpè evenit, occulto nobis regionis genio. Debilitatur primò patiens, tum capitis dolor acutissimus, contortio membrorum, & mirabiles intercedunt cruciatus: & ni maturè prospiciatur, exanimant: cùm verò nesciatur mali causa, veneficia plerumque incusan*

tur, vulgi fide. Remedium his doloribus experientia docuit: decocto ursi-brancæ, cuius esus in Poloniâ familiaris, lavatur caput patientis aliquoties, & si plicari crines incipiunt, spes certa convalescentiæ, & omen finiendorum dolorum infallibile: Plicas tamen exortas inde, vel evellere, vel resecare, vel atterere, præsentaneum est periculum recidivæ, & in debilitato corpore, etiam mortis. Polonis hic morbus Gozdziec *quasi clavicularius, quod corporis, capitis præcipuè, clavis confixi dolorem æquet. En habes fidem Plicæ, quâ mercatur Scotus ille,* Vir Clarissime. *Involuti ex longo decubitu, vel pectendi negligentiâ crines causantnè internum aliquem viscerum dolorem? contorquentnè hominem?*

Adimuntnè alijs sua munia membris?

quâ tricantur facilitate, eâdem extricantur, & nulla sequitur alteratio: in Plicâ contrarium. Imò huic malo, non crinium tantùm plicatura, sed etiam unguium excretione portentosâ, natura medetur; nonnullis enim, si fortè contrarius in capite prædominatur humor, venenum illud in ungues educitur; prodeuntq; contorti, nigri, crassi, à formâ solitâ & colore humanorum ordinario alieni: datoque casu, hos etiam, ut capillos, præscindere, æquè periculosum. Attamen bonus ille Doctor, *negligentiam pectendi capitis huic malo imponit causam, & fortè multis imposuit. Hoc certum, quod capillos ad numerum frangere, & mollitie cincinnorum cum mulierculis certare, à decore nostro, uti virili, sit longè alienum.* Non *curamus itaque Poloni hæc prostitutæ excrementorum capitis ornamenta, sed illa magis, quæ sunt de necessitate naturæ,* ipsa illa, 1. Corint. 11. 14. docet nos, quod vir si comam nutriat, ignominia est illi: & capilli, mulieri pro velamine dati sunt; *sed quis Hercules Augiæ stabulum expurgabit? dummodò*

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Honestas capillorum apud nos non muliebris, sed & glabritiem totius capitis, Turcis Moschisq; usitatam, incusamus: medium pro more gentis, & virili decore retinemus: caput semper pectimus, sæpè lavamus, nec illud frivolum curatur à nobis.

Caput ablue nunquam:

curent illi, qui beneficia intellectus lotione capitis abstergi timent, & ut retineantur fortius, inspersis cineribus cutem indurant. Maius itaque periculum involutionis capillorum, vel ex longo decubitu, vel pectentium negligentiâ, Scotis deberet esse, vel alijs satyraceis capitibus, cum rudioribus plerumque illis, neque pecten sæpè ad manum, neque ille accuratus capitis semper cultus. Hæc sat de Plicâ, quâ se miserrimè vir ille bonus implicavit, & si quam antea taciturnitas illi comparaverat authoritatem, imprudens quâ se prodidit scriptura, tortum illius ingenium, & stultis compositum mendacijs Europæ explicabit.

Tuum

Tuum restat, Vir Clarissime, *ut pro illo, quo semper flagras eruendæ defendendæq; veritatis amore, falsa & commentitia Scoti illius ostendas orbi: ut videant omnes docti, maximè illum esse barbarum, qui indebitè Polonis negligentiæ pectendi capitis inurit barbariem: & imperitè, temerè, maligneq; scripta, doctis tuis, uti soles, rationibus convincas. Vale, & omnes diutißimè bene valere iube. Lovanij Anno* 1662. *Iunij* 7.

CENSV-

CENSVRA.

HIc *Tractatus Doctoris VOP. F. PLEMPII* De affectibus Capillorum & Vnguium, *nihil continet Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium: ideoque imprimi poterit. Datum Lovanij die* 7. *Octob.* 1662.

JACOBUS PONTANVS
S. Th. Doctor & Librorum
Censor.

VOPISCI FORTVNATI
P L E M P I J
De affectibus Capillorum & Vnguium
T R A C T A T V S.
CAPVT PRIMUM.

Capilli *&* Capitis *etyma. Caput humanum maximè pilosum: ejus ratio. Veteres nullis pileis usi: certis tamen temporibus & certæ personæ eos imponebant.* Flamines *undè dicti.* Causia *sive* petasus *quid. Quomodò antiqui viris dignitate præditis obvij caput aperuerint.* Sincipitis, occipitis, temporum, superciliorum, ciliorum, labri, menti *etymologiæ.* Pilus, crinis, coma, cæsaries, capronæ, antiæ *quid, & unde deducantur. Capillos vitâ donatos esse probatur.*

CApillus dicitur quasi *capitis pilus*, ut tradunt illi, qui verborum rationes originesque inquirunt. Litera L. liquida geminatur, contrà quàm fit in primogenio, *pilus*, quod priorem corripit.

Caput deducunt à Græco vocabulo κεφαλὴ vel à κάρα ejusdem significationis voce. Alij Romanorum, teste *Cicerone*, doctissimum *Varronem* secuti etymi rationem indè arcessunt, quod à *capite* initium *capiant* sensus & nervi. Atque hanc etymologiam multi probant, quorum tamen in censu nomen suum non profitetur eruditiss. *Ger. Ioan. Vossius*, qui mavult caput nominari à κεφαλή. Nam & φ, inquit, interdum abit in tenuem p. quomodò à σοφὸς est *sapio*; à κάρφω, *carpo* &c. & è non

rarò in à abit; quomodò à *μένω* est *maneo*; ab *ἔννος*, *annus*; à *σέβομαι*, id est colo, veneror, *Sabini*; ab Hebræo & Syro *ereb*, quo *ἑσπέρα*, id est, vespera significatur, *Arabes*. Quod si hæc, addit, minùs placent, fuerit *caput* à *cap curvare*, vel Syro capa *inclinare*; quia caput formâ est globosâ & ad inclinandum se idoneâ. Sanè à Syro illo est & *κύπτειν caput inclinare*. Huic præclaro Viro consentit *Ioan. Henr. Alstedius* in omni scientiarum genere non minùs excellens.

In animantium autem genere humanum caput maximè est pilosum. Cujus causam tum ad necessitatem; tum ad præsidij rationem esse referendam auctor est magnus *Stagirites*. Ad necessitatem quidem, propter cerebri humiditatem & commissuras calvæ: nam ubi plurimum humoris calorisque est, ibidem ortum pilorum esse exuberantem necesse est. Præsidij autem seu adjumenti ratio est, ut frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore. Cum enim cerebrum hominis portione maximum & humidissimum sit, maximam etiam tutelam desiderat. Res namque corporis nostri humida quæque & incalescere & refrigerari maximè apta est: quæ autem contrà se habet, hæc minus affici potest. Adde & ornatum, qui sit velut in ædificij culmine, neque in orbem coactus, neque in pilei figuram teres factus, ne quibusdam partibus nudis, esset informis: sed aliubi infusus, aliubi retractus, pro cujuslibet loci decentiâ, ut ita loquar, speciem miri ostendit decoris. Proindè memoriæ traditur, *Charilaum* nobilem Lacedæmonium interrogatum, cur comam nutriret; respondisse: quoniam ex omni ornatu hic pulchrior foret venustiorque, ac sumtus minimi. Quam ob rem & *Silius Italicus* Poëta & tertium Consul Romanus in laudibus *Scipionis* ita sibi canendum censuit:

Martia frons, facilesque comæ, nec pone retroque
Cæsaries brevior.

Philostratus in quâdam suâ epistolâ comæ decorem commendat ad hunc modum: caput crinibus luxurians amœnius est longè Palladis germine: hanc enim arcem minimè omnium glabram atque incomtam decet conspici. Hisce calculum adjicit prophetica sententia *Esaiæ* tertio: *calvum reddet Dominus verticem filiarum Sion*. Et *Lycurgum* scimus, cives assuefecisse comam nutrire; quoniam pulchros quidem decentiores redderet, deformes verò terribiliores, ac magis formidabiles. Nam & jubati leones tigresque terribiliores visuntur cæteris eo exutis ornamento.

Isti capitis tegmini à naturâ dato fidentes veteres nullis pileis usi sunt, sed vel nudo capite fuerunt, vel veste caput velaverunt: cum nulli in veteribus Romanorum statuis; nulli in æneis quoque nummis pilei visantur.

Nulla

Nulla etiam pilei vel causiæ, qui est pileus expassos habens margines, ad arcendum æstum, ne apud *Homerum* quidem mentio: adeò ut nudi capitis consuetudo à cascâ Græciâ, cui capitis operimenta usitata non fuere, ducta videatur. Inter Romanos *Iulius Cæsar*, ut *Tranquillus* prodidit, calvitij deformitatem iniquo animo tulit; ideoque deficientem capillum revocare à vertice assueverat: atque ex omnibus decretis sibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentiùs, quàm jus laureæ coronæ perpetuò gestandæ: idque ad calvitium celandum. At verò minimè eam tanto expetivisset opere, si pileus in usu fuisset, longè scilicet aptior & fidelior ad dissimulandum calvitium, quàm corona.

Nihilominùs tempora quædam fuerunt & homines, quibus jus & usus capitis tegendi.

Temporibus comprehendo sacra, ludos, Saturnalia, peregrinationem, militiam.

Sacra seu sacrificia velato capite peracta fuisse prisco ritu literatoribus notum est. Undè flamen quasi *filamen* dictus, quod caput filo lanæ præcinctum haberet. Disertè *Servius* in 8. Æneid. flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid. Quod cùm per æstus portare non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitùs eos capitibus incedere nefas fuerat. Unde à filo, quo utebantur, flamines dicebantur, quasi filamines. Verùm festis diebus filo deposito, pilea necesse erat accipere, quæ secundum alios ad ostendendam sacerdotij eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur, ad ostendendum eorum columen. Hæc *Servius* eo loco. *Plutarchus* à pileo, quasi pileamines, dictos arbitratur. *Vossio* neque à *filo* neque *pileo* id nomen accepisse videntur: longiùs enim vocabula hæc abeunt. Sed est, inquit, flamen à *flameo*, hoc est, velamento capitis, quo utebatur. Id autem *flameum* vocatum à flameo colore. Hujus verò coloris erat, quia erant sacerdotes Jovis tonantis, cui is color convenit. Illud gestaminis genus etiam *apex* dicebatut. Sic enim *Iuvenalis*:

Et tollens apicem generoso vertice flamen.

Maximus item *Valerius* inter sacrificandum *Sulpitio* apicem prolapsum scribit. *Numa Pompilius* de Pontificalibus agens *titulum* appellat, quem ait esse pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cùm ad sacrificium accederent. *Virgilius*:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

In ludis quoque, Saturnalibus præcipue, hoc est liberrimæ vitæ diebus, pileus admittebatur, signum scilicet libertatis. Quo sensu *Martialis* Romam *pileatam* vocat:

Permittis, puto, pileata Roma.

Illo nimirùm tempore passim per agros urbesque ferè omnes læti agebant, & cum dominis famuli epulabantur.

Peregrinatio insuper capitis tegmen sibi vendicabat, quod erat *causia* sive *petasus*, qui ad umbram faciendam marginatus erat, & adversus pluvias, æstus, ac ventos imprimis idoneus. *Plautus* peregrè euntibus aut venientibus *petasum* ubique aptat. *Cicero* tabellarios *petasatos* venire ait. *Augustus* teste *Suetonio*, domi quoque non nisi *petasatus* sub dio spaciabatur: quia aëris & Solis erat impatiens.

Denique in militiâ pileorum usum fuisse, suadet *Vitruvius*: usque ad præsentem, inquit, ætatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus uterentur. Auctor tamen est *Suetonius*, armorum & equitandi peritissimum *Iulium Cæsarem*, laborisque ultra fidem tolerantem, in agmine nonnumquàm equo, sæpius pedibus anteisse capite detecto, seu Sol sive imber esset.

Jam & homines certi à communi illo more excipiebantur. In primis liberti novi. Nam servis, simul atque manu missi essent, capilli radebantur, & capite calvo pileus imponebatur. *Plautus*:

Egò hodiè raso capite calvus accipiam pileum.

Hinc ad pileum vocati servi dicuntur *Livio* passim & *Senecæ*, quibus promissa concessave libertas erat. Præterea ægris capitis firmandi gratiâ pileo uti licuit. Sic *Ovidius* amantem suum de morbo & pallore fingendo instruens, pileolum ei inter signa tribuit:

Arguat & macies animum; nec turpe putaris
Pileolum nitidis imposuisse comis.

Alij legunt *palliolum*. Idem Senibus licuisse *Nicephorus Gregoras* ostendit lib. 10. ubi morem eum cum Romano imperio Byzantium translatum docens: de capitis tegmine ait moris apud superiores fuisse, ut ætate provectiores aulici pileis turbinatis uterentur, serico textis; juniores autem omnes prorsus nudis essent capitibus.

Dicat aliquis, si omnes extra memorata tempora & personas, nudo & aperto erant capite veteres, quomodò *Plinius*, *Plutarchus*, *Sallustius*, *Seneca*, alijque prodiderunt, qui viris dignitate præditis & honore dignis fortè occurrerent, obvios caput aperire consuevisse? Respond. aut de ijs hoc intelligi potest, qui operto capite aliquâ ex causâ incederent, ut milites & liberti pileo, sacerdotes flameo, omnes pluvio tempore galero, in Sole & per viam petaso seu causiâ. Aut capitis illa tectio & apertio non tam de pileo, quam de togæ laciniâ erit accipienda. Laciniam enim istam in caput sæpe

ſæpe reijciebant contra ventum, vel æſtum; eamque detrahebant viro aliquo præluſtri occurrente.

Sed è diverticulo in viam redeamus. Partes capitis, quæ pilis teguntur, ſunt ſinciput, occiput, tempora, ſupercilia, cilia; & in viro juſtâ ætate labrum ſuperius ac mentum.

Sinciput non quaſi *ſine capite*, ut quidam explicant: neque, ut alij, quaſi *ſincerum caput*, ſed quaſi *ſemi caput*: nempe quia eo *dimidiũ capitis* denotatur; undè & Græcis *hemicephalion* vocatur: iiſdem & *bregma* dicitur vel *bregmos* à βρέχειν, hoc eſt, *humectare, madefacere*, eò quòd hęc pars humida ſit infantibus.

Occiput conflatum eſt ex *ob* & *caput*; quia ea pars ſincipiti opponitur. Nam hanc eſſe vim præverbij *ob*, paret ex *obvio, obverto, oppono.*

Tempora vel *timpora*, hoc enim modo in probatis codicibus ſcriptum invenitur; ita vocantur, non quia, *quaſi tempora, quibuſdam intervallis mutantur*, uti vult *Iſidorus:* ſed quia ex ijs *tempus*, hoc eſt, *anni ſive ætas hominis* cognoſcitur.

Supercilia dicta ſcribit *Iſidorus*, quia *ſuperpoſita ſunt cilijs.* De *ciliorum* voce *Feſtus* ſic cenſet: cilium eſt folliculus, quo oculus tegitur; unde fit ſupercilium. Et *Iſidorus* cilia inquit eſſe tegmina, quibus cooperiuntur oculi; & dicta cilia, quòd *celent oculos*, tegantque tutâ cuſtodiâ. Sed cum *cillere* antiquis ſit *movere*; veriſimilius eſt, *cilia* dici, quia perpetuò *cillant*; quemadmodum *palpebræ* nominatæ à perpetuâ *palpitatione*. Etiam *Lactantius* accedit *Feſto* atque *Iſidoro*: nam inquit: ut oculi munitiores eſſent ab injuriâ, ciliorum tegminibus Deus occuluit: undè oculos dictos eſſe *Varroni* placet. Sed enim videri queat, non tam primò id notare, quàm per ſynecdochen partis: propriè autem ſignificare non totam oculorum tunicam, ſed ſuperiorem; nec hanc totam, ſed crepidinem ejus, undè pili exeunt. *Plinius* id indicat *lib.* 11. *cap.* 37. ubi ait: *extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui cilium vocavere; undè & ſupercilia.* Quo loco *genæ* non ſunt *malæ*, ſed oculorum tegmina, undè palpebræ prodeunt. *Hadrianus Iunius* in Nomenclatore ſuo, *cilia* ait eſſe pilos è palpebris natos; & *ſupercilium* ductum pilorum ſupra palpebras. Sed pili iſti *Plinio* dicuntur *palpebræ*, non *cilia* loco jam citato: *palpebræ*, inquit, *in genis homini utrimque. Defluere eas haud immeritò venere abundantibus tradunt.*

Labrum, uti & labium venit à Græcò λαβεῖν, labijs enim ſive labris cibum apprehendimus. *Donatus* ad Terent. Eunuch. act. 2. ſcen. 3. vult labra eſſe ſuperiora, labia inferiora. *Aratus* contrà ſentit.

Mentum *Iſidorus* ſic nuncupari putat, quòd ibi *mandibulæ* oriantur, vel quòd ibi jungantur. Mirifica herclè etymologia, *mentum* à *mandibulâ*!

 Paulò

Paulò verosimiliùs *Iovianus Pontanus* in Actio suo dictum ait, quia hiantibus nobis moveatur, nempe ut ex *movimentum* fit *momentum*, & hinc *mentum*. At *Iul. Scaliger* exercit. 307. deducit à μενύω; id est, *indico, significo*; quasi esset *menutum*. Rationem affert hanc: quòd mento demonstrent pueri & muti, atque alij, etiam intenti, ubi loqui nolunt. Vel sit *mentum* à *meno*, undè & *mentio*, & *commentum*.

In hisce ergò capitis partibus nascitur capillus, pilus, crinis, coma cæsaries, capronæ, antiæ.

De capillo antè vidimus, dictum videlicet ita esse, quasi *capitis pilum*. Ab eo est *capillitium* & *capillamentum* & *capillago*, quo utitur *Tertullianus*.

Pilus à *pelle*, è quâ prodit; ita *Isidorus* & *Perottus*. Sed est fortasse à πτίλον, *pluma*, inquit *Vossius*. Nam quòd in piscibus squamæ, in avibus plumæ, hoc in pedestribus pili. At fortean meliùs à πίλος propter densitatem.

Crinis à κρίνω, id est, discerno; quod crines discreti sint.

Coma est Græcum κόμη à κομεῖν, id est, *curare ornare*; quoniam studio excoli requirat. Sunt qui comam quasi κόσμον & capitis ornamentum dici autumant: quâ ratione & arborum folia comæ dicuntur, quòd ad ornatum sint comparati. Undè hyems ventorumque injuria exuere plantas honore suo, & exspoliare comis legitur, ubi frondes decutit. Nec desunt, qui à κόπτειν, à *cædendo* vocis originem derivare malint, ut ab ejus verbi præterito κέκομμαι descendat. Quorum opinioni refragari videntur *Servius* & *Donatus*, nobilissimi Grammatici; quorum ille comas, esse *capillos non tonsos* annotat; hic comarum significatione prolixitatem monstrari scribit. Usque adeò non esse fidendum etymologiæ videtur, ut eam non immeritò *Galenus* noster dixerit *mendacem testem*.

Cæsaries, nunc dicimus; fortassis & olim *Cæsaria*. Est à *Cæsa*: ut à *luxu* venit *luxuria* & *luxuries*. Cum autem sit à *cædendo*, tantùm erit virorum: quod monet etiam *Servius* & *S. Isidorus*.

Capronæ sive *capronea* aliquibus dictæ videntur, quia *caprorum* propriæ sint. Hæc ab alijs reijcitur sententia, recipiturque *Festi*, qui ait capronas esse equorum jubas in frontem devexas, quasi *à capite pronas*. At *Nonius* non equorum modò, sed & hominum facit: generatim enim ab eo definiuntur, *comæ, quæ ante frontem sunt*. Deindè, idem ac *Festus*, etymon subjicit, adductis his *Lucillij* versibus:

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas frontibus immissas, ut mos fuit illis.

Forsan tamen non est vox composita, sed simplex sive à *capite*, sive à *caperando*, quia frontem caperent corrugentve. *Had. Iunius* idem ait esse

antias

antias & *capronas*. Et ex ijs quidem, quæ de his veteres prodidere Grammatici, difficile est dicere discrimen. Differre tamen vel fidem fecerit *Apuleius* lib. 1. flor. ubi ita scribit: *iam primum crines eius præmulsis antijs, & promulsis caproneis, anteventuli & propenduli.* Dictæ ergò *antia* ab *ante*.

Ista Grammatica sunt & Philologica, eruditis tamen literatoribus grata. Nunc quod propositum est, persequamur; affectus, inquam, capillorum explicemus & curemus, quod Medicum est.

Quid autem, inquies, rei vilis, excrementitiæ, vitæ expertis curam geris; & non potiùs partium corporis affectus tradis? Ego verò aio capillos, etsi fortasse corporis quisquiliæ & retrimenta sint, tamen quia præcipuum sunt hominis honestamentum, & mentis arcem ab injurijs tuentur, meritò & sedulò curæ habendos esse. Quin imò forsan excrementa non sunt, sed vitam habent. Plerique quidem Medici & Philosophi aliter sentiunt; ajuntque capillos non verè nutriri, sed à vaporibus excrementitijs forâs protrudi; quos inter elegantissimus *Fernelius* quoque est, his præcipuè motus rationibus: quòd præcisi omni ætate vel decrepitâ vel præcipitatâ recrescant. Deindè quòd hecticis & tabidis, quibus reliquum corpus non modò non augetur, sed planè exhauritur & liquescit, ij soli diffundantur & grandescant: neque his modò, sed etiam vitâ destitutis corporibus. Quibus apertè convinci putat, non naturæ attrahentis beneficio, sed excrementi redundantis vi & egressu ab radice duntaxat illos increscere.

Quæ quidem non mediocriter urgere videntur, sed talia tamen non sunt, ut adversam partem tamquam improbabilem pessum dent. Etenim quòd præcisi omni ætate excrescant; hoc non solis pilis competit, sed & dentibus ex Anatomicorum omnium sententiâ: id quod ideò ipsis condonatum creditur, quia perpetuò molendis cibis atteruntur. Quòd verò hecticis & tabidis ij soli diffundantur, fit, quia vilissimum alimentum ipsis augendis accommodatum est; quale cùm ijs in affectibus suppetat facilè, & cæteris partibus alendis sit inidoneum, fit, ut hæ liquescant, illi non item. Quòd denique in vitâ destitutis corporibus augeri animadvertantur; non propterea ipsos vitâ destitui evincitur: possunt enim in vitâ carentibus quædam excrescere vitaliter; sic namque è terrâ vitæ experte plantæ emergunt viventes. Qua ratione dici potest, in mortuis corporibus pilos retinere vitam vegetativam.

Sane vitâ pilos donatos esse, arguere mihi hæc videntur: quòd, dum canescunt pili, non in radicibus tantùm, sed & in extremitatibus simul albescant: argumento illos alimento intrò attracto, intusque immutato nutriri.

nutriri. Deindè quòd pili non crescant in immensum, sed definitam incrementi legem ac metam habeant, quemadmodum & stirpes; fidem facit eos verâ nutritione increscere. Si enim admotâ dumtaxàt ad radicem materiâ atque subjectâ adaugescunt; quoniam continenter suggeritur & accedit, continuâ adauctione deberent tandem in immensum luxuriare atque grandescere. Atqui contrà fieri cernimus, his, ut plantis, constitutos incrementi limites, quos prætergredi non liceat. Quocirca his, ut stirpibus, videtur alimentum omnem substantiam intrò subire, quod primâ ætate alit & auget, & demum cessante incremento tantùm alit. Hoc sibi objicit, verùm non solvit *Fernelius*: at inquit, illud esse ex his, in quibus non aliud, quàm mirari licet Dei & Naturæ providentiam. Denique & hoc pilos verâ nutritione alimento intrò adacto augescere indicat, quòd quandò resecti primùm sunt, obtusi sint in cacumine, & postmodum grandescentes acuantur. Certè si appositâ infernè materiâ tantùm extruderentur, fastigium exstans eamdem semper figuram retineret. Neque negandum hìc est, rem tam subtilem, ut pilus est, poros habere posse, per quos alimentum trahat. Nam considerentur aristarum fibræ tenuissimæ, quæ vivunt, ideòque poros habent, per quos alimentum sugunt. Quæ etiam ratio est, cur præsecti pili nihil succi emittant, ob tenuitatem enim pilorum exiguus, qui inest, succus fugit sensus nostros; quemadmodum & in jam dictis fit aristis. Quod si notabiliter crassefacti sunt pili, succum etiam sensibiliter emittent; uti subindè observare licet in illo capillorum affectu, quem *plicam Polonicam* nominant, in quâ secti pili stillant sanguinem. Quin jàm beneficio conspiciliorum microscopiorum videntur omnes capilli naturaliter se habentes cavi, & ut canales pertusi ac perforati, adeò ut pennas anserum referant: figuræ verò esse triangularis plerique; radices eorum geniculatæ; velut multæ sunt plantæ.

CAPUT

CAPVT SECUNDUM.
De Canitie.

Canities & cani *undè deriventur. Quid canities; quibus nominibus apud auctores appelletur: quotuplex sit. Qui cum canis nati sint. Historiæ memorabiles eorum, qui repentè cani facti sunt. Quam canitiæ causam statuat* Hippocrates & Aristoteles, *alijque: eæ causæ examinantur. Cur canities in hominibus potius, quàm alijs animalibus. Quæ pars ultimò canescat. Cur palpebrarum pili non canescant. Canities venerabilis. Turpe senem canos suos fucare. Intempestiva canities quibus emendetur. An sint medicamenta, quæ senem abjectis canis reddant juvenem. Capillos tingentia colore nigro, flavo, aureo. Remedium impediens canitiem.*

CAnities vel canitia, vel canitudo, ut *Varro* loquitur, est à *cani*, quod simpliciter prolatum de capillis intelligitur. Illud autem *cani* nonnullis primas literas retinuisse videtur ex *candidus* & *niger*, undè sit conflatum. Ita *Isidorus*, canus, inquit, dictus est, quia ex candido colore & nigro est. Sed enim sive singulo *canus*, sive plurativo numero *cani* dicas, simplex est, non compositum. Nec *canus* est à *candidus*: sed contra à *canus* est *caneo*; undè *candeo*, à quo *candidus*. *Canus* autem est a *χάω*, *uro*, quia ignis lucem parit, quæ *candida* à Poëtis vocatur: vel potiùs à *χαίνειν*, id est, *album reddere*.

Est porrò canities naturalis pilorum coloris in alborem vel potius cinereum colorem commutatio. Eam propterea non invenustè *spumam* nominat *Q. Calaber*, à squallidâ nimirum albitudine:

Albebant nimiâ spumâ caput hirtaque barba.

Haud absimili ratione *nivem capitis* eam appellat *Aurelius Prudentius*: ab imitatione candoris cygnearum plumarum. *Flaccus* nuncupat *plumam*, ubi *Ligurinum* formæ venustate superbientem modestiæ admonet his verbis:

Insperata tua cùm veniet pluma superbia.

Naso quoque apud Getas exulans in extremo senio queritur, jam sua tempora imitari cygneas plumas. Tale est *Aristophanis*, illud in Vespis:

Olore canior coma silva emicat.

Hinc cygnus epitheto *canicolor* dicitur apud *Euripidem*. Græcus Poëta *Hippothous* canos nominat *senij flores*. Ver jucundum Græcis Poëtis *canum* vocatur ab amæno adspectu florum suâ albitudine pratorum virorem interstinguentium. Absinthium, herbam amaram, *canum* dixit *Ovidius* à cinericio albore. Mare etiam *canum* vocitatur ob albescentis spumæ squallorem. Decembrem *mensem canum* appellat *Martialis* propter nivis omnia operientis spectaculum Ferrum, quod attritu candescit, ad cædes & latrocinia infame, *canum* appellat *Homerus*. Comici Græci canos dictitant *polline albicantes*. Quendam albicante pariter & flavente capillo varium conspicatus *Domitianus*, gestare *nivem mulso perfusam* dixit, ut à *Sexto Aurelio Victore* literis proditum est.

Alia autem est canities naturalis, senectutis propria; alia præter naturam, quia præmatura & intempestiva, quam qui contrahunt, *præcani* vocantur ab *Horatio*.

Fuerunt etiam, qui cum canis nati sunt. Ita à primo ortu canum exstitisse legimus *Tarchonta*, qui à *Tyrrheno* oppidis duodecim in Hetruriâ conditis præfectus fuit: quod innatæ illius à puero prudentiæ tributum à Poëtis est simile vero. *Cygno* Neptuni filio canities primis annis nata nomen dedisse putatur. *Tarquinium Priscum* prudentissimum Regem ab ineunte pueritiâ canum fuisse *Strabo* memorat. *Numam* quoque *Pompilium* à primâ ætate canum fuisse affirmat *Servius Honoratus*, quâ fide nescio; quamquam *Virgilius* illi incanum mentum crinesque tribuat jam tum seni. Quin & ab ipso natali canescere Albanos Scythiæ populos, qui se posteros Iasonis credi voluerunt, refert polyhistor *Solinus* in hæc verba: *albo crine nascuntur, canitiem habent auspicium capillorum; sic comæ color genti nomen indidisse videtur.* At hoc non videtur Doctissimo *Salmasio* in Plin. exercit. ad *Solinum*. Refert *Hesiodus* Graeas *Phorci* filias mox à partu canas fuisse, quas è sorore *Ceto* susceperat. *Cassiodorus* putat *Senecæ* nomen indè duci, quoniam cui primo cognomentum id impositum, canus sit natus. *Ioan. Schenckius* ex literis *Guil Stuckij* narrat *Conradum à Waldkirch* patricium & Senatorem Scaphusianum statim à nativitate canos ab unâ parte capillos, & barbam, simul atque illa crescere cœpit, similiter ab illâ parte canam habuisse, ideòque *grauwlock* esse nominatum. Illud verò inter naturæ miracula adscribendum, quod prodit *Ctesias*, in Indiæ quâdam

gente

gente fæminas semel tantùm parere, eoque conceptu genitos confestim canescere, in senectute autem nigrescere. Quod & tradit *Aristoteles* de gruibus, nimirùm illas senescentes magis nigrescere, contrà quàm cætera animantia. *Erginus* filius *Clymeni* virentibus etiamnum annis ante tempus canus, cùm in funerale certamen ab *Hypsipyle* in exequijs mariti *Thoantis* propositum descendisset, cum Boreadibus certaturus à Lemnijs mulierculis risu fuit exceptus. Undè & in proverbium abierunt, *Ergini cani*, de intempestivâ canitie.

Ista canities intempestiva & præpropera nullâ re citiùs promovetur; quàm curis, mœrore, metu. Sunt, qui è naufragio præter spem salvi enatantes, repentè cani evaserunt. Commemorant alij nonnullos, qui in præruptas rupes aucupij gratiâ funis ope pervaserant, soluto eo aut delapso, desperabundos præproperam canitiem accersivisse. Memoratu digna est historia *Hadriano Iunio* narrata olim à *Francisco Dilpho*, non gentilitijs magis imaginibus, quàm singulari eruditione clarissimo Equite, Cæsareæ Majestatis apud Sereniss. Angliæ Regem tum temporis Oratore; ea sic habet: Hispanus nomine *Didacus* sive *Diegus Osorius* nobilissimâ familiâ ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato priùs cum eâ consilio, in patulâ arbore & frondosâ absconderat se; ea crescebat in Hispanijs intra Regij horti septa. Interim fortuito catelli Melitæi latratu prodita colloquij fides, satellitum manui illum objecit. Comprehensus carcerique inclusus, quòd capitale esset illic deprehendi, dictatâ ultimâ sententiâ ita inhorruit totus, ut nox unica juvenem eumdem & senem incanum viderit. Quo spectaculo motus carcerarius, delato ad *Ferrandum* Regem catholicum prodigiosæ rei indicio, effecit, ut capitalis legis rigore in benignitatem converso, Rex illum absolverit, inquiens pœnarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum juventæ flore commutasset.

Hanc ipsam rem contigisse testatur *Petrus Messias* Hispalensis, eventum hunc imaginationi adscribens. *Henricus Salmuth* comment. in *Guid. Pancirollum*, adfirmat quemdam fabrum in Hassiâ, cùm nocturno itinere à cacodæmone sævissimè habitus esset ad auroram usque, unâ nocte canitiem spectabilem contraxisse ex metu. Aliam historiam *Conrado Gesnero* exposuit per literas suas *Iustinus Goblerus*; quarum hoc est exemplar: Fuit mihi propatruus, *Michael* dictus, venationi & aucupio mirè deditus, qui cum fossas aliquas in agris suis ex patrio more haberet pro capiendis feris, altas ita, ut nulla bestia quamlibet violenta erumpere capta posset. Accidit ut unâ nocte, eâque dominicâ tria animalia longè diversæ naturæ unam eamdemque in fossam caderent: mulier vicina prior, quæ, ut postea ipsamet retulit,

sola decurrens in agrum sub vesperam betas rapasque in obsonium sequentis diei istinc exportatura erat: deindè vulpes: tertiò atque ultimò Lupus incidit. Singuli sibi in fossâ locum occupatum primò totâ nocte quieti obtinent, & ut verisimile est, sese inter se mutuò metuunt. Lupus, quamquam animal ferocius, neque vulpem tamen neque mulierem attingit invadit ve, sed suâ quasi in statione timidus persistit. Trepidanti intereà mirum in modum mulieri nihil ab utrâque bestiâ mali contigit, nisi quòd ob metum ab illis unâ nocte ferè tota canesceret, & tantùm non ad amentiam redigeretur. Manè venator propatruus more suo fossas perlustrans, prædam triplicem insperatò conspicit, & ad conspectum mulieris vicinæ suæ obstupescit, quam alloquens voce suâ quasi ex morte revocat, atque opem mox salutemque præstat. Itaque fossam insiliens, ut erat cordatus ac robustus, statim telo lupum interficit, deindè vulpem; tandem scalam nactus mulierem semimortuam humeris suis extrahit, & in planitiem sistit, domumque defert. Quo facto suæ illa familiæ domuique reddita, deindè per omnem vitam tristior semper quàm antè comparebat. *Iul. Scaliger* exercit. 312. ad subtil. Card. describit historiam suæ tempestatis sub *Francisco Gonzaga*. Is affinem suum suspectum conjurationis, cum in turri portæ Cæsareæ ad quæstionem aut supplicium asservari jussisset, nunciatum est manè totum repentè canum factum. Quod quasi prodigium flexit Principis animum; qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam. Cùm *Ludovicus* Bavarus Imperator cum civitatibus ad Rhenum sitis inito fœdere contra eos, qui distractione Principum Germaniam vastabant, in armis esset, *Maria Brabantina* ejus conjunx, Werdæ habitans, binas literas, uno quidem annulo, diversâ tamen cerâ, atrâ, rubrâ, obsignatas, istas marito, alteras *Heinrico Ruchoni*, decurioni equestri mittit. At is, qui epistolas detulit, errore seductus, rubrâ cerâ complicatas *Ludovico* tradit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, dissimulatâ re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus ad uxorem diu noctuque contendit, & indictâ causâ adulterij condemnatam securi percuti jubet. Posteà veluti conscias *Helicam* virginem Prennebergensem cultello confodit: & aliam fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitavit. Ob id mirandam habuit & horrendam nocturnam visionem, quâ unâ nocte totus factus est canus. Indè pænitentiâ ductus, Monasterium in Bavariâ supra Amram, quod *Principis campus*, patriâ linguâ *fürstenfeldt* dicitur, exstruxit, & donarijs ac censibus locupletavit.

Istæ sunt canitiei causæ evidentes, quas *procatarcticas* appellare solemus Medici.

Medici. Nunc propinquiores inquirendæ, videndumque quid ſit illud, quod colorem leucophæum capillis inducit. *Ariſtoteles* lib. 3. de hiſt. animal cap. 11. & lib. 5. de gener. animal. cap. 4. & 5. duas proponit ſententias de cauſis canitiei, eaſque refellit. Prima fuit *Hippocratis*, quæ legitur libro de nat. pueri num. 19. *cani*, ait, *ob id fiunt, quòd longo tempore pertranſeunte humiditate in homine albiſsimum eius ſecernitur, & ad cuticulam allabitur; & pilus albidiorem humiditatem trahens albidior fit, quàm priori tempore: itemque ipſa cuticula, præſertim ubi cani ſunt, albidior aliâ evadit. Et quicumque ex nativitate canum quid in capite habent, etiam illis cuticula ſumma, ubi cani ſunt, reliqua albidior exiſtit; illic enim albiſsima eſt humiditas: qualemcumque verò humiditatem caro attraxerit, ſive albam, ſive fulvam, ſive nigram tali colore etiam pilus inficitur.*

Hanc *Hipprocratis* ſententiam confirmat vitiligo, in quâ pili albi ſunt, quòd album & pituitoſum alimentum cute ſubiacens ſimili colore pilum inficiat. Deindè quorundam obſervationibus conſtat, aliquos cum canitie natos barbam poſteà emiſiſſe partim canam, partim alio colore præditam; canos autem erupiſſe ex albis punctis & maculis, quibus menti cutis erat notata. Nihilominùs hoc placitum convellit *Ariſtoteles*, quòd multi pilos nigros habeant, & cute ſint candidiſſimâ: & contrà Æthiopes cutem habeant perpetuò nigram, per ſenectutem tamen caneſcant.

Altera opinio, quam refellit *Ariſtoteles*, eſt eorum, qui ſtatuebant canitiem fieri ab ariditate: ſicut enim videmus albeſcere areſcentes plantas, ſive quòd à nimio Solis incendio ipſarum ſuccus exhauriatur, ſive quòd ob inopiam & defectum calidi nativi novum ſuccum prolectare non poſſint: ſimiliter pilos caneſcere exiſtimabant, quòd deficiente alibili humore areſcerent. Hanc ſententiam triplici argumento inſequitur: *primo*, quia nonnulli derepentè cani evaſere, imò & ab ipſo ortu quidam prodiere cani: atqui nihil ab ipſo ortu aut derepentè eſt aridum. *Secundo*, qui caput pileo aut alio tegumento ſemper operiunt, citiùs caneſcunt, quàm quibus illud ſemper eſt denudatum: operti autem pili minus ſiccantur, quàm aperti. *Tertio*, canities plerumque à pili cuſpide inchoatur: atqui in cuſpide non eſt tam intenſus calor exſiccans quàm in radice; ergò hæc deberet priùs ſemper areſcere, ideoque & caneſcere.

His opinionibus rejectis cenſet *Ariſtoteles* cauſam canitiei non eſſe aliam, quàm putredinem, hâc ratione: quibus hominibus, inquit, natura pilorum parum calida eſt, pluſque humoris ſubit, calor proprius

nequit concoquere; atque ita humor putrescit calore aëris ambeuntis: fit enim putredo quæque à calore, sed non suo nativoque: putredo autem & aquæ & terræ, & quorumvis ejusmodi corporum fieri potest: quamobrem terreni etiam vaporis putredinem novimus, quæ *situs* vocatur. Etenim situs caries vaporis terreni est. Itaque in pilis quoque alimentum tale, cùm non concoquitur, putrescit; atque ita efficitur ea, quæ canities appellatur. Quæ alba propterea est, quòd & situs cariosorum ferè albus est; cujus rei causa est, quòd multum aëris contineat. Ita *Aristoteles*. Qui rem sic se habere demonstrat exemplo eorum, qui cùm per morbos cani evaserunt, restitutâ sanitate pristinum colorem in pilis receperunt: cujus eventus eam adsignat causam; quòd per morbum calor nativus pili debilior factus suum alimentum non potuerit concoquere, quo ex defectu putredo, & ex putredine canities fuerit consequuta. Posteaquam verò æger sanitati restitutus est, calor vegetior factus crudos humores emendat, & putrefactos abigit, in quorum locum bonos & perfectè coctos subrogans, pilis suum colorem restituit.

Quæ quidem omnia probabiliter dici videntur, sed tamen non carent difficultatibus. Nam quibus rationibus studet conficere *Aristoteles*, canitiem ex ariditate non suscitari, eisdem arguere possumus, putredinem etiam causam canitiei non esse. Etenim quod ait *Aristoteles*, nihil ab ipso ortu siccum produci, aut derepentè tale evadere; & propterea cùm canities ab ortu, & repentè nonnumquàm contingat, eam à siccitate non posse provenire. Idem telum in ipsius *Aristotelis* sententiam possumus retorquere, dicendo nihil ab ipso ortu putridum produci, aut repentè putridum fieri; ideòque à putredine non omnem canitiem pendere.

Puto ego canitiem universè ab unâ aliquâ causâ non provenire, sed à varijs: est enim canities pilorum color albus; at color tum albus, tum alius quilibet à multis causis oriri potest: est namque color proportio certa diaphani & opaci intermixtâ luce; atqui proportio illa multiplici de causâ quit variari. In præsenti negotio variari illa potest à cruditate & incoctione alimenti sequente imbecillitatem caloris nativi. Atque in canitie ferè semper videtur adesse caloris imbecillitas. Tribus quippè modis ea solet accidere, per ætatem, per morbum, per subitam animi consternationem: in quibus omnibus calor nativus imminuitur. Potest aliter candor pilis induci; propter separationem eorum halituum, qui per modum tincturæ ipsis colorem imprimebant: vel propter tincturam,

quàm à pituitoſo humore accipiunt. Sed & ex certâ aëris & aquarum proprietate videtur oriri canities. Nam congenita ab ortu canities quibuſdam populis eſt familiaris: cujus eventus non videtur alia cauſa poſſe aſſignari, quàm communis uſus aquarum & aëris, vel matris imaginatio.

Solent de canitie problemata quædam agitari. Quorum primum eſt: *quid cauſa ſit, cur canities potius in hominibus, quàm cæteris animalibus appareat; & magis in capite, maximè autem in temporibus?* Hoc problema *Ariſtoteles* atque etiam *Galenus* ſolvit. *Ariſtoteles*, quia canitiem à putredine fieri exiſtimat, reſpondet, corpora humida maximè eſſe putredini obnoxia: homo autem cætera animalia humiditate ſuperat. Capite verò magìs caneſcit, quia cerebrum in homine copioſiſſimum eſt, & inter omnes corporis partes humidiſſimum, parumque habet caloris: putredinis autem cauſæ ſunt abundantia humidi & defectus caloris.

Quod verò ad tempora attinet, ait *Ariſtoteles*, ideò maximè caneſcere; quia cùm occiput parum cerebelli contineat, non valdè abundat humiditate ſuperfluâ: contrà autem ſinciput ob multam cerebri copiam putredini reſiſtit: quæ enim in majori copiâ ſunt, difficiliùs putreſcunt; ut vini dolium magis putredini reſiſtit, quàm cyathus, & mare magìs quàm flumen, flumen quàm palus. Cùm ergò tempora plus cerebri contineant, quàm occiput, & minùs quàm ſinciput, fit ut inter capitis partes ipſa omnium prima caneſcant. Ita *Ariſtoteles*. Noſter *Galenus* ſic ſolvit: homo potiſſimùm caneſcit, quia cùm non ſubeat annuas mutationes pilorum; meritò per longam ætatem infirmatur pilus & caneſcit: magìs in capite, ab immodicam humiditatem à ſubſtrato cerebro ſuppeditatam: maximè autem temporibus; quia hæc ſola ex omnibus capitis partibus veſtiuntur muſculis: adeò ut in cæteris capitis partibus cerebri humiditas à ſiccitate oſſis temperetur; at in temporibus concurrit duplex cauſa humiditatis, cerebri ſcilicet & muſculorum temporalium mollities. Ad hunc modum diſſerunt illi ſcientiarum Principes, non diſſentaneè à ſuis principijs. Nos ſecundum noſtra hôc pactò dicere poſſumus: homo inter omnia animalia maximè caneſcit, quia maximè obnoxius eſt defectui ac remiſſioni caloris nativi: caput autem primò canitie tentatur; quia cùm cerebrum innato temperamento ſit frigidum & humidum, per ſenectutem maximè deficitur calore nativo; & præcipue in temporibus propter humiditatem. Sed enim inter animalia & equi & canes quoque caneſcunt. De equis *Ariſtoteles & Plinius* fatentur. Cæterùm quia canities illâ rarior minuſque

propria

propria est, nec clara admodùm, ideò solum hominem canescere traditum est. In equis tamen etiam ratio afferri potest, quòd os, in quo cerebrum, tenujus quàm cætera pro magnitudine habent. Argumentum est, quòd ictus in eo loco periculosus sit; undè illud Homericum:

Et qua seta barent capiti, letaleque vulnus
Pracipuè fit equis

Cùm igitur præ tenuitate ossis affluat humor, & per ætatem calor deficiat, pili isti canescunt: ruffi verò celeriùs quàm nigri: nam & ruffitas quasi imbecillitas pili est: imbecillimum autem quodque senescit celeriùs.

Alterum problema: *quanam pars corporis omnium postrema canescat?* Respond. pubem ultimò canescere, ut benè observavit *Aristoteles*. Cujus eventus ratio in copiam sanguinis & spirituum eam in partem defluentium referenda videtur.

Tertium: *cur, cùm caput & mentum canescant, palpebrarum pili non canescant, qui intermedij sunt?* Respond. quia sicco, firmo, solido & denso loco sunt inserti.

Jam ad curationem nos accingamus. Canities, quæ naturaliter & tempestivè venit in senectute, tolli non potest; nec fuco emendari debet: nam senem turpe non est esse canum. Quin venerabilis est canities. *Ovidius*:

Magna fuit quondam capitis reverentia cani:
Inque pari pretio ruga senilis erat.

Cano seni in theatro universi assurrexere Spartani. Unde Satyricus:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuvenis vetulo non adsurrexerat.

Quod jam anteâ *Moyses* præceperat in Levitico: *coram cano capite assurge, & honora personam senis.* Canities atque senium, scribit *Heraclides*, sacri quidam portus sunt extremæ ætatis, secura hominibus statio, quantumque corporis tum decrescunt vires, tantum animi vigor augescit. Apud Gentiles castitatis Dea habita Vesta, *cana* dicitur *Maroni*. Et fides, cujus numen sanctissimum, *cana* eidem nominatur. Eâdem dignitate Veritas *cana* apud *Varronem* audit. Naturæ longævæ rerum parenti *canitiem* dat *Claudianus*. Æternitatem eâdem insignit *Nonnus*. Tempus *Diphilus* Comicus appellat *canum opificem*. Apud Romanos vetusto more nubentes *canis* senum ornabantur, ut & Vestales virgines, castitatis vitæque integritatis exemplo, ut è *Sext. Pompeio* liquet. Thebæ Bæotiæ habebant *canum* Apollinem, teste *Pausania* in Bæoticis. Apud Cimbros

sacerdotes

ſacerdotes & vates *cana* caſtra ſequebantur, magno in honore habitæ, quæ de præliorum eventu vaticinia edere ſolebant. Denique *Solomon* in proverb. *ut iuvenum gloria*, inquit, *in robore poſita eſt, ita ſenum dignitas in canitie.*

Hanc tamen dignitatem quidam ſtudioſè occultare conantur pigmentis adhibitis. Quam capillorum tincturam primùm à *Medeâ* excogitatam tradit *Clemens Alexandrinus* in ſtromatum libris; præclarum ſcilicet lenocinij rudimentum. Eodem loco acriter idem auctor invehitur in eos, qui meretricio more vultum pingunt, cæſariemque tingere non ceſſant. Quæ res ut in viris ſummè pudenda, imò deteſtanda, ita è diverſo fœminis, quibus mundicias, ornatum, cultumque pro inſignibus eſſe permittenda ſcitè apud *Livium* diſſerit *Lu. Valerius*, eatenus indulgenda, dum certis finibus coërceatur licentia, nimiaque curioſitas, atque intra fucum conſiſtat. *Lucillius* epigrammatarius lepidè jocatur in anum canos tingentem, dictitans, fuco numquàm effici, ut ex *Hecubâ* fiat *Helena*. Cæus quiſpiam magno natu homo, cætera futilis, ob ſenectam tamen venerabilis, inducto fuco canos tegere conatus, legationem, cujus causâ Lacedæmona venerat, exponere cùm cœpiſſet, *Archidamus* Rex, animadverſo dolo, aſſurgens: *quid*, inquit, *ſani dixerit iſte, qui non animo tantùm, verum etiam capite mendacium circumfert?* ſimulque cum dicto orationem hominis exploſit, ac pro indictâ habuit, uti refert *Ælianus* lib. 7. omnigenæ hiſtoriæ. *Philippus Macedo* ſimiliter *Antipatrum*, quem ex amicis in Judicum ordinem cooptarat, capillos pariter & barbam fucantem, ut mendacem ſummovit, adijciens: *in crinibus infidum, nihilo fideliorem in rebus gerendis fore.* Hujus filius *Magnus* haud vano cognomine *Alexander*, ſenem capillos inficientem conſpicatus; *ne comam*, inquit, *tingas, ſed ſi potes, genua*, ut à *Plutarcho* ſcriptum eſt. Ridet pulchrè Lentinum quemdam *Martialis*:

Mentiris iuvenem tinctis Lentine capillis,
Tam ſubitò corvus, qui cygnus eras.
Non omnes fallis; ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Tamen quæ intempeſtivè venit canities, ea corrigi poteſt, neque inconvenit. Pro quâ tollendâ, ſi corpus cacochymum eſt, hoc à vitioſis humoribus expurgandum. Quo facto ad capitis evacuationem eſt procedendum per ſternutatoria, apophlegmatiſmos & errhina. Deindè ad medicamenta calorem nativum corporis & cerebri roborantia veniendum. Inter quæ multæ ſunt confectiones calidæ; ſed primas tenent theriaca & mithridatium. In primis verò ſtudendum, ut liber ſit animus, neu affectionibus ijs

agitetur, quas diximus canitiem accelerare. Novi ego virum religiosum, cui cùm imposita esset provincia pueros humanioribus literis imbuendi, eamque iniquo susciperet animo, quòd sic non satis Deo & pietati vacare posset, canescere cœpit. Quod animadvertentes Superiores eum à munere illo summoverunt, statimque, mirabile dictu, capilli ad pristinum nigrorem rediverunt. Tantum in corpus valet animus! *Euonymus*, qui est *Conradus Gesnerus*, in thesauro suo aquam describit tantæ virtutis, ut senem rejuvenescere facere sit potens *Pedemontanus* & alij similia medicamenta proponunt. Narrat *Deodatus* de insigni Chymico *Ioan. Montano*, quòd suo elixire sumto, decidentibus canis & unguibus è totius corporis cute, senectam deposuerit, & juventutis florem denuò comparaverit. Quæ an vera sint, ego nescio; hoc scio, à Chymicis multa magnificè promitti, non præstari. *Petrus de Osma* scribit, se Indum vidisse, qui cujusdam herbæ succo Hispanos quovis morbo laborantes, cæterosque Indos persanabat, juncturis omnibus succo illitis, pannisque coopertis, à quibus deinde sanguinis copia exsudabat: & repetitâ curatione non à difficillimis tantùm morbis multos sanatos fuisse, sed eodem auxilio plures valdè senes repubescere visum fuit, robustiori recuperato corporis habitu. Cæterùm herbam nec pretio, nec precibus, aut minis patefacere umquàm voluit. Sit fides penes auctorem. Hoc pacto *Glaucum* fabulabantur antiqui immortalem factum cujusdam herbæ esu. Sed neque imitandum, quod *Rhazius* prodit, amicum se habuisse, qui potatâ chalcanthi drachmâ unicâ nocte pilos omnes albos exuit. Quod periculosum est medicamentum & erodens, ideòque per os minimè sumendum.

Si per ista antè præscripta, simul servatâ bonâ victus ratione, capilli canitiem per se non deponant, ad pilos tingentia accedi debet. Inter quæ alia tingunt colore nigro, alia flavo. Videndum ergò quis color cuique conveniat. Tincturam autem præcedere debet pilorum abstersio, & à sordibus, pinguedine, ac squallore expurgatio: etenim colorem non admittunt, quæ sunt unctuosa. A frigidis tingentibus præcipue læduntur, quibus imbecillum est caput. Itaque acerba, austera, & hujusmodi valdè adstringentia ijs plurimùm nocent teste *Galeno*, qui observavit, plerasque mulieres talium abusu, dum canos fucare vellent, in gravissimos affectus incidisse. Constat verò, quibus caput est frigidius, eos promtius offendi; gravius autem, quibus est calidius; his siquidem frigus magis est adversum; & in morbis magis periclitantur, quorum naturæ non convenit affectus. *Gordonius* in hanc sententiam ait: *melius est habere modicum de verecundiâ fatuâ, quàm dolorem perpetuum capitis inducere.*

Medica-

Medicamentum denigrans, neque ullum periculum damnumve inferens capiti est hoc: R. myrobalan nigror. unc. I. passar. nigr. unc. ij. vini nigr. adstring. lib. ij bull. in duplici vase lento igne ad consumt duarum tertiarum: dein adde succi cortic. nucum viridium lib. v. sumach acaciæ ana unc. I. caryophyll. integ. sesquidrachm. moschi scrup. I. ponantur iterum ad ignem, & sine ebullitione detineantur per dimidium diem. Isto illinuntur capilli noctu, quando itur dormitum: deinde contegitur caput panno nigro, atque ita detinetur totâ nocte. Manè postmodum abluitur caput vino nigro adstringente, in quo bullierint myrobal. nig. Sic continuetur uno mense circiter.

Hoc etiam linimentum commodum est. R. vini rubr. lib. I. salis drachm. I. chalcanthi drachm. ij Misce, & pone in testulâ vitreatâ, parum bulliant: tum ab igne remove, & denique adde gallæ subtiliss. tritæ q. s. pro faciendo linimento, quod mellis crassitiem habeat; quo capilli optimè illinantur, & ita caput pannis lineis tectum per tres circiter horas relinquatur. Deindè pannis calidis siccetur caput, medicamentumque excutiatur, & abluatur lixivio.

Aliud: R. nuces gallas tot, quot vis: redige in pulverem, & impone sartagini ferreæ super ignem, donec nigrescant. tum infunde eis guttatim ol. olivar. agitando semper, sicut oleum imbuant, atque ita exsiccentur ad ignem. dein contunde benè. postea isti pulveri adde pul. vitriol. rosmarin. sal gemmæ caryophyll. Simul R. cort arbor. jugland. granator. alumin. ana part. æq. bulliant in vino, donec hoc nigrescat instar atramenti. Colato huic vino injice dictum pulverem. tum lava caput forti lixivio; dein sicca: deindè lava isto vino, ac linteo involve caput, maneatque involutum per hor. VI. denique ablue caput aqua & vino, & sicca. Durabit hæc nigrities ad V. vel. VI. menses. Facile parabile est hoc; si capilli quotidie pectine plumbeo depectantur, intincto priùs in succo nucum viridium, aut atramento scriptorio.

Flavos capillos reddit hoc lixivium: R. lixivij sarment. vitis lib. ij rad. bryon. chelidon. curcum. ana semunciam. croci lilior. albor. drachm. ij flor. verbasc. stœchad. citrin. genist. hyperic. ana drachm. I. coq. simul. & f. lixiv. clarum s. a. Sæpe crines hoc lavandi, donec perfectè tingantur.

Aureos reddit alkanna Arabum pauco vino albo tepente excepta, & in pulmenti formam redacta. Eo unguento capilli ad radicem usque illinendi; & ita per 24. hor. stupis cooperti & benè fasciati sinendi. Posteà tepente vino caput lavandum; & denique pectendum. Cineris

unguen rutilum producere crinem, dixit in Originibus *Cato* inquiens: *mulieres nostræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis.*

A canitie præservat, seu ne canescant pili, vermium terrenorum cinis præstat, admisto oleo, si eo in pectendo utaris: testes sunt *Plinius, Serenus Sammonicus* & *Marcellus.*

CAPUT TERTIUM.

De Calvitio.

Vocis, calvus, *etyma varia à varijs allata. Calvitij definitiones. Calvitium turpe & deforme. Calvorum exempla & historiæ. Calvi prudentes & astuti. Calvi quidam à natalibus. Calvitium derepentè contractum. Quæ sint calvitij causæ.* Hippocrates & Aristoteles *non verè dicunt, ante veneris usum neminem calvescere: item mulieres à calvitio esse immunes. Calvitij altior causa à* Vallesio *proposita. Ægyptij non calvescunt. Cur in sincipite tantùm fiat calvitium, non in occipite aut temporibus. Calvitium non sanatur. Incipiente calvitio quid agendum.* Petronij *monitio ad calvum. Calvitium fuco aut velamine celatur.* Caliendrum & galericulus *quid, & undè dicta. Qui veterum usi galericulo.* Pileus *quid &* petasus. *Garamantes dimidio struthionis ovo pro pileo utuntur. An rectè & valetudini conducibiliter pileis utamur. Quibus conveniant, quibus non.* Marsilij Ficini *morositas in mutandis pileis.*

Calvitium ducitur à *calvus* quod est, *capillis vacuus*, ut vult *Jul. Scaliger* comment. in lib. 1. Arist. de hist. animal. Putat *Vossius* non ineptè derivari

derivari à κείρω, unde ἔκαρον: ut à λείριον *lilium*, sic à καρεῖν *calvus*, converso utrobique r. in l. Magis tamen ipsi arridet, ut vel sit à φαλακρὸς calvus, per metathesin, & ablato r. vel ab Hebræo *kal*, quod est læve. Hoc calvi etymon firmat ipsa definitio calvitij, quæ est apud *Aristotelem* lib. 3. de hist. anim. cap. 11. capitis lævitas calvitium nuncupatur, ut *Gaza* vertit; vel ut *Scaliger*: verticis glabritia calvitium dicitur. *Martinius* addit, *calvus* videri esse à Chaldæo *kalf*, quod est *decorticare, delibrare*. Denique *Alstedius* ducit à κάλλος, *pulcher*, per antiphrasin. Calvitium ex nostrâ definitione est absentia pilorum in calvâ. Turpè autem est & deforme calvam capillis nudam esse. Est enim coma id ferè capiti, quod plantis germinibusque sunt folia, à parente Naturâ producta ad fructuum conservationem, quorum fotu pariter ac refrigerio, aëris injuria tum averteretur, tum retunderetur: quo fiat, ut avulsis frondibus arbores & plantæ indecoro vulnere ac depili nuditate affectæ mœreant quodammodò, morsumque sentiant; uti in Symposiacis disserit *Plutarchus*. Firmat id *Aristoteles* lib. 5. de gen. anim. dum ait, id esse in homine calvescere, quod in avibus depennescere; in folijs arborum defrondescere. Proinde nihil mirum, si calvitium, quo caput ferè depilatur, apud omnes ætates opprobrij loco habitum fuerit. *Naso*:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Helisæus Propheta calvus à puerorum catervâ sannis exceptus, ludibrioque habitus fuit, quamquàm non impunè; quippè quos diris devotos proterviæ pœnas ursis dedisse constat. *Apuleius*, mulierem etiam venustissimam, si capillitio nudetur, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, toto cupidinum populo comitata, cinnama fragrans, balsama rorans; si calva processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo. *Ambrosius* in hexaemero lib. 6. scribit comam esse reverendam in senibus, venerandam in sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo perit. *Iulium Cæsarem* calvitij sui deformitatem iniquissime tulisse retulimus cap. 1. hujus tractatus; eâque de causâ deficientem capillum à vertice revocare consuevisse. *Domitianum* Cæsarem calvitio ita fuisse offensum à *Suetonio* proditur, ut pro suâ ipsius contumeliâ duceret, si cui alij objiceretur. *Agathoclem* Siciliæ tyrannum turpi calvitio deformen tradidit *Ælianus*; quem cum puderet defluentis capilli,

myrteam corollam, glabritiæ velamen, quo nuditas tegeretur, adornavit. Acerbè *Iuliam* filiam suggillavit *Augustus*, qui aliquando improvisus cùm oppressisset cosmetrias sive concinnatrices, præmaturam canorum segetem vellentes, percunctatus illam est: malletne cana esse, an calva post paucos annos: respondentique, canitiem se præoptare, regessit ille mendacij notam isto dicterio; quid ergò istæ tàm citò calvam te reddunt? *Vespasianus* lepidè calvitium argutâ ostenti cujusdam elusione non dissimulavit; nam viso comete, qui mortem ipsius portendere credebatur, non sibi, sed Parthorum Regi minitari dixit; illum namque comatum esse, se verò calvum. Modestè tulit calvitij sui opprobrium *Tiberius* Cæsar à *Seiano* Prætore ludibrio habitus, quandò in Floralibus per calvos omnia peragenda curavit ille, qui posteà ab ipsius nomine *Seiani* nuncupati fuerunt: ac rursus è theatro descendentibus faces præferri per quinque mille rasos pueros, qui calvitium glabris capitibus mentiebantur. *Galba* Imperator ita fuisse glaber fertur, ut *Fabius Fabulus* caput ejus præcisum, vestis sinu exceptum portare debuerit, cùm ob pilorum raritatem difficillimè prehendi posset. *Carolus* filius *Ludovici* pij Imper. cognomento *calvus* fuit dictus à calvitio: in cujus laudem *Hugbaldus* monachus, vir, ut tum ferebant tempora, haud indoctus, eclogam composuit non illaboriosam, cunctis vocibus initialem literam C. præferentibus. *Socratem* quoque recalvâ fronte depingit *Hieronymus*, sapientiæ argumento. *Æsculapium* calvum ostendunt Ægyptij eamdem ob causam. *Vlyssem* item calvum nominat *Synesius*. Sed & *Isocratem* oratorum omnium suavissimum, calvum fuisse constat: uti & *Hippocratem* nostrum. Qui omnes cum prudentes, sapientes, astutique fuerint viri; hinc forsan monet nos vulgatus versiculus à calvorum familiaritate abstinendum esse:

Si non vis falli, fugias consortia calvi.

Porrò quemadmodùm canities, ita & calvitium aliud est naturale per ætatem adveniens: aliud præter naturam, accidens intempestivè. Narrat *Herodotus* Scythicam quandam gentem à natali in perpetuum calvescere. Myconij quoque pilis carentes nascuntur; quod præter *Strabonem* & *Plinium* testatur *Lucillius* vetus Satyrographus, ita inquiens:

Myconi calva omnis iuventus.

Ita ut *Strabonis* testimonio calvi quicumque *Myconij* appellari proverbiali dicterio consueverint.

Derepentè quoque calvitium contrahi posse, uti de canitie diximus, docet

docet nos *Marcellus Donatus* lib. 1. hist. med. mirab. Adolescentula, scribit, patri unica mane parentis thalamum ingressa, ut de more illi è lecto surgenti ministraret, adapertis fenestris patrem vocat; illum verò altiori somno detineri rata ad cubile accedit illum expergefactura: verùm rigidum immobilemque repertum cùm tetigisset, frigidum invenit, nocte intempestâ subitaneâ morte oppressum. Quo casu inopinato perterrefacta & horrescens, arrectis capillis, semianimis vicinos advocat; (soli enim pater & filia vitam ducebant) qui patrem mortuum sepulturæ dederunt, semiviventem filiam in lectum collocantes, ut vires reciperet: cui quartâ die cœperunt defluere capilli, ita ut omnes ferè deciderint, paucique fuerint reversi, & in posterum calvitio laboraverit.

Causa calvitij sumenda est vel ex cutis vitio tum in primis, tum in secundis qualitatibus, præcipuè in ariditate: vel ex convenientis alimenti defectu, sicciore videlicet reddito cerebro: vel denique ex læsione virtutis formatricis; sic videmus nonnullos calvos fieri vitio sui generis, in quibus cutis benè se habet, neque apparet boni alimenti defectus.

Dicunt *Hippocrates* & *Aristoteles* ante venereorum usum neminem calvescere: mulieres item à calvitio immunes esse. Cæterùm rem aliter se habere, posseque virum citra venereorum usum calvescere, experimenta & rationes convincunt. Occurrunt enim permulti spectatæ probitatis viri, & numquam venerem experti, qui tamen calvi sint. Contrâ autem alij sunt insigniter venerei, qui tamen calvi numquàm fiunt. Videlicet non ex sola alimenti penuriâ, sed & ex cutis & facultatis formatricis vitio oritur calvitium. Quod ad mulieres attinet, scribit *Aristoteles*, eas non calvescere; quoniam ipsarum natura puerorum naturæ similis est; utraque scilicet sterilis excrementi seminalis. Idem *Galenus* docet ad aphor. 28. sect. 6. *Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calvi fiunt*. Eunuchi enim, ait *Galenus* in comment. similes fœminis efficiuntur: sicut ergò in his calvitium non accidit, sic neque in eunuchis, propter temperamentum frigidum. Sed huic quoque sententiæ & rationes & experimenta adversantur. Sunt quippè non paucæ mulieres calvæ tum juvenculæ, tum ætate progressæ, quæ vitium suum alieno crine tegunt. Et ratio suadet: cùm enim calvitium ex ijs causis fiat, quæ suprâ recensitæ sunt; quis non intelligat, eas quoque in mulieribus locum habere posse?

Calvitij altiorem causam suggerit nobis *Vallesius* lib. de sac. Philos.

cap. 66. cerebri scilicet in senectute contractionem, quâ à cranio se revellit, ut suo humore non ampliùs ita pascere valeat superpositam crinium silvam. In hunc sensum ducit difficilem & obscuram illam Ecclesiastæ sententiam: *antequam recurrat vitta aurea*, id est, ante senectutem; quando tenuis meninx, quæ cerebrum instar vittæ operit, recurrit & revellitur à fornice cranij propter cerebri contractionem. Naturalis etiam cerebri & totius temperaturæ siccitas calvitium festinare solet.

Herodotus tamen scribit, ex omnibus hominibus paucissimos videri calvos Ægyptios, eosdemque capita habere durissima. Cujus rei hanc esse ait causam: quòd statim à pueris radere capita incipiant; inde enim os capitis ad Solem reddi compactum, adeò ut vix lapidis ictu id illidas. Persis autem, quòd à principio assuefiant operire capita, gestantes pilea & tiaras, adeò fragilia esse, ut, si ferire velis, vel solo talitro perfores.

Quærunt auctores, cur in sincipite tantùm fiat calvitium, non in occipite aut temporibus. Et multa ac mira hîc adferunt. Videtur autem mihi verosimilior illa esse ratio: quòd in occipite & temporibus musculi siti sint, qui humoris secum plusculum adferunt, ne tantopere siccescat pars, & alimento ad pilos generandos defraudetur.

Sive in senectute tempestivè accidat calvitium, sive intempestivè, observationibus constat, non sanari. Incipiens tamen calvitium retardari, & quodammodò impediri potest. Itaque quod *Hippocrates* sect. 6. aphor. 34. dicit: *qui calvi sunt, ijs varices magni non fiunt: quibus verò calvis existentibus varices superveniunt, ij rursus capillati fiunt*, Id intelligendum est non de calvitio propriè dicto, sed de capillorum defluvio, de quo agemus cap. sequente.

Si quis ergò advertat, se incipere calvescere citiùs quàm conveniat; hic sæpiùs curet radendum sinciput suum usque ad cutim; servans bonam diætam, & præcipuè venerem, vigilias, curasque fugiens.

Petronius quemdam calvum factum admonet mortis citò venturæ, hoc epigrammatio:

Infelix modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi.
At nunc lævior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda.
Ridentes fugis, & times puellas.
Vt mortem citiùs venire credas,
Scito, iam capitis perisse partem.

Qui

Qui eò redactus est, ut verticis glabritie æs, tuber, ovum, cucurbitam, concham ve æquet, de fucatione, aut velamine dumtaxat cogitare habet. Fucatio fit per gestationem alieni capillitij, quod *coma adoptiva, adscititia, appositіtia; galericulum, sutile capillamentum* dicitur: Græci *phenacen* nominant à φενακίζειν, quod *decipere* est; quod verbum etiam apud quosdam vulgò durat, ut *phenacissare* pro *imponere* usurpent. Apud *Horatium* invenias *caliendrum* lib. 1. sat 8.

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere.

Ubi sic vetus interpres: caliendrum, peplum capitis, aut crinis suppositіtius, seu capillamentum, aut galericulus, capitisve ornamentum. Caliendri meminit & *Varro* in eo libro, qui inscribitur, *virgula divina*, dicens: ego nunc postulo Agamemnona meum: tantis cothurnis accipit Critona caliendrum. Ex hisce verbis liquet, olim fuisse dubitatum, utrum *caliendrum* notet *comam appositam*, an *capitis operimentum*. Posterius amplectitur *Turnebus*, atque addit caliendrum videri esse à Græco χάλυπρον, quod est ejusdem originis ac *calytron* seu *calyptra*, nempè à καλύπτειν: quod est *operire*. Sanè ea origo utrique convenit notioni. Nam & *galericulus* & *coma apposita* operit caput.

Galericulus & galerus à *galeâ* est. Fuitque pellis habens appositos crines humanos, tanto artificio, ut, cùm eam capiti applicuissent, pellis hæc vera hominis cutis, crinesque ejus veri hominis crines, non adscititij viderentur. Itaque eo utebantur calvi, cani, ac fœminæ nigris capillis. *Iuvenalis* satyr. 6. de *Messalinâ*.

Et nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Suetonius in *Othone* cap. 12. munditiarum fuisse traditur penè muliebrium; vulso corpore; galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato & annexo, ut nemo dignosceret. *Amienus*:

Nam mox detecto nituit frons nuda galero,
Discolor appositâ quæ fuit ante comâ:

Tertullianus de cultu fœminarum Africano stylo: affigitis prætereà nescio quas enormitates sutilium & textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervice retrò suggestum. Quod *Tertullianus* ibi vocat *capitis vaginam*, id scitè *Martialis* nominat *capitis calceum*; & ipsum caput *calceatum* lib. 12. epig. 45. ad Phœbum:

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Velatur caput sine fucatione pileo vel pileolo. Est autem pileus, non illud capitis tegmen, quod nos gestamus, factum ex lanis seu villis coactis, cujusmodi coactilia, vulgò *feltra*, dicuntur, sed ex pannis olim sive filamentis contexebatur:

Tritis pilea suta de lacernis.

Gestamen illud, quo nos prodimus in publicum *petasus* est, sive galarus latos habens margines, qualis Mercurio tribuitur. At pileus non marginatus est; refertque dimidium corticis ovi. Et reverà apud Garamantas ex struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis bini fiunt pilei: tanta est ibi ejus ovi magnitudo; eoque capitis tegumento populi illi plurimùm applaudunt. Est ergò pileus propriè nauticum aut dormitorium nostrum capitis velamen, Is nunc ex corio vel panno serico concinnatur, & passim geritur à juvenibus, senibus, mediæ ætatis viris, domi & foris.

Quæritur, an rectè & valetudini conducibiliter? Pileus cerebri & calvæ effluvia continendo caput calefactat, poros ad exhalandum aperit, ab externo frigore alijsque aëris injurijs defendit. Hoc tamen more & mollitie nimisquàm procul à veteribus Græcis & Romanis abivimus, quorum statuæ & imagines testantur, nudo capite domi forisque egisse, nisi militia, æstus, imbres, morbus aliud suaderet, uti ostensum nobis suprà capite primo. Nos verò tot hodie pileis & capillamentis tecti onustique, nescio, an salubriore capite, quàm veteres illi, vivamus. Quin majores nostri pileos istos ignorarunt, tantùmque à quadraginta circiter annis in usu esse cœperunt: vixerunt autem saniores isti priores, quàm nos. *Cornelius Celsus* lib. 1. cap. 4. Philosophis & literatis, quibus à studio imbecille caput, scribens; etsi nolit eos ad cutem tonderi, vetat tamen caput veste velari; pileum damnat, & nuditatem capitis commendat. Imò aquâ frigidâ quotidiè perfundi jubet, ac nudum supponi canali; undè aqua pluvialis aut alia decidit. Nihil enim capiti æquè prodest, inquit, atque aqua frigida: atque is, cui hoc infirmum est, per æstatem id benè largo canali quotidiè debet aliquamdiu subjicere. Nam aquæ frigus densat capitis cutem, & adversus externas cœli injurias impenetrabilius facit. Hoc argumento *Charmis* Romæ sub Principatu *Neronis* nobilis Medicus, damnatis balneis, frigidâ

hibernis

hibernis algoribus, uti testatur *Seneca*, non capite tantùm, sed toto corpore lavari persuasit. Tunc videbamus senes consulares, inquit *Plinius* lib. 29. cap. 1. usque ad ostentationem rigentes, Sed ut ad pileos redeam de ijs ita censeo. Qui benè densam cæsariem in juventute pileo onerant, ante tempus canescunt; & perpetuò caput molle atque effœminatum circumferunt: si contingat eos quaquâ occasione pileum capite tollere, à levi aurâ læduntur; gravedine seu coryzâ corripiuntur, alijsque destillationibus. Et remedijs senectutis in juventute consumtis, quid senes facient? Si cavendum, ut monet *Celsus*, ne in secundâ valetudine adversæ præsidia consumantur; cavendum quoque, ne in juvenili ætate senilis præsidia consumantur. Senilis nimirùm præsidium ætatis est pileus, uti & eorum, qui catarrhis obnoxij sunt, aut calvi, aut ægroti: quibus utique pileolum concesserim. *Marsilius Ficinus* clarissimus Philosophus Platonicus, patriâ Florentinus in pileolorum istorum usu fuit ad superstitionem morosus. Adeò morosè, inquit *Iovius*, sibi ad spem vitæ blandiebatur, ut sæpè eâdem die, cùm aër incalesceret, aut aliquo spiritu moveretur, capitis tegumenta permutaret.

CAPUT QVARTUM.

De capillorum defluvio.

Capillorum defluvium definitur. ejus causæ adferuntur. Galenus *non omnes attulit. Cutis densitas non est causa defluvij capillorum, contra* Alexandrum Trallianum. *Ab alimenti defectu capillos defluere, contra* Solenandrum. *Quomodò defluvium capillorum distinguatur à calvitio, alopeciâ & ophiasi. Quomodò causæ cognoscantur. Qui scopi sint in curatione hujus affectus. An topica adhibere hîc liceat, non præmissâ totius evacuatione. Selecta ad hunc affectum medicamenta.*

Defluvium capillorum speciatim ita dictum est casus pilorum capitis paulatim & sparsim factus: ita ut non uno in loco, sed vel omne in toto capite, vel plurimi hinc & indè excidant; & pili tantùm fian

rariores, nullâ parte capitis nudâ relictâ.

Causæ defluvij capillorum sunt vel alimenti inopia, vel humorum pravitas, vel cutis raritas. Ob duas priores causas pili decidunt in phthisicis & hecticis. Ob humoris pravitatem, in lue venereâ, capitis erysipelate, & febribus malignis. Ob cutis raritatem, in convalescentibus à gravi morbo: in quibus tamen etiam humorum pravitas in causâ esse potest.

Galenus tantum duas assignavit causas: scilicet cutis raritatem, & materiæ defectum. At certum est, debere addi tertiam causam, nempè humorum pravitatem, uti constat in lue venereâ. Nam post erysipelas capitis posset culpa refundi in cutis raritatem, seu pororum apertionem; sed in lue venereâ non item; uti neque potest, dum post venena certa sumta vel attacta fit capillorum defluvium.

Ajunt ab humorum pravitate & corruptione oriri alopeciam & ophiasin, non defluvium capillorum speciatim dictum. At falluntur. Etenim ophiasis quidem & alopecia oriuntur etiam ab humoribus pravis radices pilorum erodentibus, sed tantùm in certis locis existentibus: verùm in defluvio capillorum illi humores pravi per totum caput sunt sparsi.

Alexander Trallianus dicit, cutis densitatem etiam esse causam defluvij capillorum. Sed hoc rationi minimè est consentaneum. Nam firmatâ cute & constrictis poris, verosimile est illos magis contineri, neque fluere posse.

Insignis practicus *Solenander* in primo suo consilio movet hìc nobis dubium expensu dignum. Contendit ipse, quandocumque pori se commodè habuerint, pilos pulchrè firmari & hærere. Neque quidquam facere, quòd nihil alimenti ex parte, in quâ pili sunt, aut ex corpore elevatum eis adglutinetur & apponatur: non enim, inquit, ob eam causam decidunt, etsi ob eam causam non excrescant. Quis alimentum subministrat pilis in pellibus animalium diu detractis? at his tamen pili non decidunt; nisi teredines, tineæ, & id genus insecta alia poros infesto dente devastarint, aut meatuum constrictio humido aliquo vel putredine labefactata fuerit. *Respondendum* huic est: idem fieri pilis ac folijs, quæ arboris coma quodammodò sunt: hæc autumni initio languere incipiunt, flaccescunt, & sponte suâ tandem decidunt; non aliam ob causam, quàm quòd alimento destituantur, & humidum, quo fovebantur ac vigebant, depastum siti, aut intrò retractum. Argumento esse possunt ea plantarum folia, quæ aut propter multitudinem humoris,

humoris, aut ejus lentorem non decidunt, sed perpetuo virore sunt insignia.

Si dicat quis, analogiam istam inter folia & pilos institutam non esse bonam; quòd foliorum extremæ partes, interim dum in arbore virent, alimentum suscipiant, neque folio solùm apponatur, sed per totam ejus substantiam distribuatur: at pilorum non eam esse naturam; nullam eis vitam; radicibus cutem, aut subjectam ei membranam non complecti; sed ut palus terræ infigitur, ita pilum cuti insertum hærere. *Respond.* Pilum verè nutriri, non per materiam ei accrescentem & allitam, sed per alimentum, quod per totum pili corpus procedit & distribuitur. Hoc enim magis esse probabile, quàm alterum, monstrant argumenta capite primo allata.

Sed cur ergò, instabit alius, in pellibus animalium diu detractis & præparatis non decidunt pili; cùm ibi deficiat alimentum? *Respond.* non decidunt, quia pelles illæ siccatæ sunt, & poros habent constrictos, qui claudunt undique pilos & retinent; qualiter & arborum rami detruncari possunt & exsiccari, adhærentibus semper folijs. At in vivente animali vel arbore cùm pori sint patuli & laxi ab humiditate, si alimentum deficiat, nullâ ratione continentur.

Est alia difficultas magni momenti: quomodò in tabidis capilli defluant ob alimenti defectum: cùm *Aristoteles* lib. 3. de histor. animal. cap. 11. & lib. 2. de gen. anim. cap. 4. dicat: tabidis sæpè, aliquandò etiam vitâ defunctis capillos crescere? Dicendum est, non verè in ijs crescere, sed apparere longiores ab marcescentem carnem. Vel dicendum; in ijs solùm crescere, qui multâ humiditate superfluâ abundant, quæ cedat pilis in alimentum: & sic non est ibi alimenti defectus.

Distinguitur capillorum defluvium à calvitio, alopeciâ & ophiasi (quos affectus communiter faciunt species defluvij capillorum generatim dicti) quòd in calvitio pili solùm defluant è sincipite: in alopeciâ & ophiasi ex alijs capitis partibus areatim: in defluvio capillorum sparsim ex universo corpore.

Causa defluvij non difficulter cognoscitur ex ijs, quæ præcesserunt, vel adsunt. Et prout causæ sunt, ita quoque defluvium vel sanabile est, vel non sanabile. Si morbi Gallici vel lepræ indicia adsint, causa tum certa est. Humor quivis alius erodens calore circa cutim se prodit: quemadmodùm meatuum laxitas significatur mollitie & humiditate.

Ab alimenti defectu veniens tollitur ægro restituto & benè habito.

Qui curaturus est capillorum defluvium, hunc præcipuum sibi scopum præfixum habere debet ex *Galeni* doctrinâ, ut caput roboret, boni succi delationem ad cutem procuret, eamque ad densitatem & raritatem moderatam deducat.

Ubi statim petat quis: an ista topica seu localia remedia adhiberi possint ante universalem corporis evacuationem? Dicendum est: posse, si causa defluvij sit vel alimenti defectus, vel cutis raritas. Sed si humorum pravitas ac corruptela sit causa, præmittenda est totius evacuatio.

Inter localia medicamenta conveniunt calida & adstringentia moderatè: in quibus principem locum obtinet ladanum oleo lentiscino mixtum, vel oleo myrtino, si largè capilli defluant; undè liceat conijcere, multam cutis capitis raritatem adesse. Formula poterit esse hæc: R. ladani optimi unciam olei lentiscini unciam. Misce. Hoc apud *Galenum* & simplicissimum & efficacissimum est medicamentum, quo se nullum præstantius neque esse expertum, neque animo concipere potuisse fatetur. Licebit tamen ei addere myrrhæ electæ drachmam. pulv. capill. ven. verbenacæ rectæ ana scrupulum. Mis. f. linimentum.

Alij præparant olea adstringentia, quibus imponunt deindè ladanum, myrrham, & alia: verbi gratiâ R. rosar. sicc. balaustior. cortic. granat. ana drachmam. ol. comm. unc. quatuor. vini rub. adstringentis sesquiunciam: bulliant ad consumtionem vini. Tum R. istius olei sesquiunciam. ladani, myrrhæ ana drachmas tres. pul. capill. ven drachmam. Misce pro linimento.

Aliud. R. apum uncias sex. adipis ex collo equi uncias quatuor. mellis comm. uncias duas. Moschi scrupulum. Pistillo contunde; & concorpora ad lentum ignem. Eo ungatur caput vesperi, superalligando linteum calidum.

Quidam his sanatus est: R. ladani semunciam. ol. myrtin. mastichin. ana sesquiunciam. mis. pro linim. R. lixivij facti cum cinere quercus lib. v. gallar. non perforat. adianti ana pugillum. fol. rosar. sesquipugillum. baccar. myrti semipugill. acaciæ ladani ana drachmas duas. Acaciam & ladanum ligata in petiâ cum reliquis pone in lixivio, bulliantque ad consumt. tert. part. Isto linimento vesperi caput ungatur, & mane lixivio lavetur.

Si quibusdam displiceat, pinguia & unctuosa in capite ferre, fiat decoctio ex cap. ven. abrotano, polytricho aureo, lentisco, fol. myrti, rosis,

rosis, absinth. in vino rub. & eo caput abluatur.

Item spumam carnis bubulæ macræ in aquâ coctæ collige in ollulâ mundâ; adde aquam mellis: atque ea unge locum depilem.

Hæc aqua omnium est efficacissima: R. aq. stillat. è melle uncias tres ol. tartar. unciam, aquilæ vegetabilis drachmas duas. Mis. & fervebunt. Fervore facto subsidet crassamentum. Dein filtra per chartam bibulam; & utere. Descriptio aquilæ vegetabilis est hæc: R. tartari libram. calcinetur per ignem carbonum ligneorum in vase lapideo perforato, & aëri aperto exposito, quia horrendum fœtet. Deindè in pulverem redigatur, & ponatur in ollâ lapideâ novâ, atque affunde poculum aquæ pluviæ. tum coq. ad consumtionem medietatis. postea filtretur per folium chartæ bibulæ quadruplicatæ; & appositæ infundibulo: orificium infundibuli imponendo phialæ seu lagenæ vitreæ, ut sensim in eamdem destillet. Si gratum colorem addere vis, quandò medietas decocta est, adhuc ferventi inijce taleolam tenuem cortic. aurantij. Quò plus decoquitur, eò est valentior. Hujus aquilæ multæ & mirificæ sunt virtutes, quas enarrare non est hujus loci.

Ista adhibenda sunt detonsis primò vel rasis capillis: deindè cutis fricanda: tum medicamenta apponenda.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De areâ, alopeciâ, & ophiasi.

Area undè dicta. Quid sit area: quot ejus species. Quid alopecia, & undè ita vocata. Ophiasis quid, & undè appellata. Arearum causa. Potest area contrahi ab ortu. Quomodo alopecia & ophiasis cognoscantur, atque inter se distinguantur. Alopecia à lue venerea quid obtineat peculiare. Signa causarum: & deterioris ac mitioris affectus: Est aliquandò epidemius. Quâ ratione & quibus medicamentis ista vitia tollantur. Topica elegantia & efficacia. Ferneliana areæ ab ortu contractæ curatio. In puerulis sæpè levi remedio sanatur,

AREA ab *areo* est. *Varro* lib. 4. de ling. lat. ubi frumenta secta terantur & arescant, *area*. Propter horum similitudinem loca in urbe pura, *areæ*. Vbi per *pura loca* intelligit *non ædificata*. De origine ejusdem vocis sic *Festus* censet: area propriè dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, & non possit quidquam generare.

Est ergò hoc loco nobis area glabrities seu privatio pilorum instar areæ in partibus capitis quibusvis. Vulgò vocant *depilationem*.

Hujus duæ sunt species: *alopecia* & *ophiasis*.

Alopecia vel alopeciasis est area seu glabrities capitis quâlibet figurâ prædita. Nomen tractum est à vulpibus, quæ dicuntur Græcè ἀλώπεκες, quarum lotium terræ inspersum toto anno eam sterilem reddere, scribit *Callimachi* scholiastes. Vel potiùs à vulpibus nomen habet, quòd ipsæ, cùm annosæ sunt, illi affectui sint obnoxiæ, obortâ per ætatem scabie.

Ophiasis est area capitis tortuosa instar serpentis. Dicitur à serpentibus, qui Græcè nominantur ὄφεις; quòd eorum figuram hæc depilatio referat. Hæc accidit solis pilis superioris capitis: alopecia etiam barbæ accidere potest.

Occupat utrumque vitium non totum caput, sed partes quasdam & loca tantùm quædam cutis; ad distinctionem defluvij capillorum, de quo antè, quod promiscuè & sparsim toti capiti accidit.

Causa arearum post ortum venientium est pravus humor erodens radices pilorum; qui aliquandò simul malignus est, tanquam in lue venereâ. Humor is potest esse serum, pituita, & bilis utraque, putrefacta vel corrupta Quemadmodum enim plantæ moriuntur, si muriâ, lixivio, aceto, urinâ alluantur, ita capilli defluunt, si humore salso & acri circumfundantur.

Fernelius in consilijs suis narrat casum, cujusdam qui ab ortu & semine areas contraxerat.

Alopecia & ophiasis facilè cognoscuntur; & facilè quoque inter se distinguuntur. Nam alopecia quidem est area, quæ sub qualibet formâ dilatatur, ita ut nullam certam figuram habeat: ophiasis verò more serpentis tortuosè progreditur; & modò ab occipitio extenta utrimque ad aures usque serpit, latitudinem habens duorum ferè digitorum transversorum; modò aures prætervecta ad ipsam usque frontem serpentis instar procedit. Alopecia quamlibet ætatem invadit: ophiasis ferè infantes. Præterea in ophiasi majus causæ vitium est, ut non solùm pilorum radices, sed & cuticula erodatur. Commune utrique est; quòd emortuâ summâ pelliculâ pili primùm extenuantur, deindè excidunt: ac si ictus is locus sit: sanguis exit liquidior ac mali odoris

Alopecia, quæ à lue venereâ ortum habet, id peculiare obtinet; quòd superciliorum citiùs & barbæ, quàm aliarum partium pilos adgredi consuevit, subindèque ejus partis capitis, quæ rariùs hoc defluvium patitur, ut sunt latera utraque. Sic & alopecia, quæ lepræ soboles est, magìs in superciliorum, quàm aliarum partium pilos grassatur.

Signa causarum sunt, quòd si cutis apparet albidior, peccabit pituita; si nigrior, melancholia; si pallidior, flava bilis.

Increscit utrumque vitium in alijs celeriter, in alijs tardè. Pejus est, quod densam cutem, & subpinguem, & ex toto glabram fecit. Difficilioris sanationis est ophiasis, quàm alopecia: nam illa à materiâ & crassiore & deteriore oritur, & simul cuticula est excoriata.

Alopecia in infantibus faciliùs sanatur, quàm in adultis. Id quod voluit *Celsus*, dum inquit, hanc vix umquàm sine curatione, illam per se sæpè finiri. *Sebastianus Egberti* experientissimus Medicus & Consul Amstelredamensis, civis meus, notis ad *Dodonei* praxin, scribit se observasse illos affectus anno 1614. quasi epidemios, & puerulos invadentes.

Si per modicam frictionem cutis capitis mutetur color cutis, citò & facilè vitium tollitur. Si per modicam vel mediocrem frictionem non mutetur color cutis, vel vix mutetur; affectus non nisi difficulter, & longo temporis spatio pelli poterit. Si medio modo se habeat, medio etiam tempore tolletur.

Ut autem tollantur hi affectus: in primis, si sinant vires, incidenda est vena, sanguisque mittendus pro ratione plenitudinis corporis, præmisso leniente. Tum ad purgantia veniendum. *Galenus* lib. de comp. med. s. l. cap. 1. narrat historiam cujusdam adolescentis alopeciâ laborantis, ex quâ licet colligere, quæ medicamenta sint accommodata. Huic adolescenti primùm dedit duas pilulas ex aloe, quæ ciceris magnitudinem habebant. Deindè solâ hierâ diacolocynthidos eum purgavit bis in quinque diebus; primâ quidem vice drachmis quatuor, alterâ drachmis quinque exhibitis. Postea ad evacuantia caput est procedendum per errhina & apophlegmatismos. Denique ea usurpanda, quæ materiam in capitis cute detentam discutiant. Ea debent esse calida, non vehementer siccantia, tenuium partium, & metasyncritica. Inter quæ quędam sunt leviora, quędam mediocria, alia valida. Levius est hoc: R. amygdal. amar. cum cort. ustar. drachmas tres, thuris drachmam, olei chamæmel. unciam. ceræ parum. Misc. f. liniment. Medioere est istud: R. pul. amygd. amar. ustar drachmas duas sem. erucæ drachmam. ellebori semidrachmam. adip. ursin. anser. ana unciam, ceræ parum. f. linim. Validum est illud: R. euphorb. thapsiæ ol. laurini ana drachmas duas. sulfur. vivi, ellebori utriusque ana drachmam. ceræ drachmas sex. cum ol. vetere f. linim. Quæ adhibenda sunt calida, raso capite perfrictâ cute, in loco calido, donec cutis suum naturalem colorem recipiat. Potest ante inunctionem caput lavari lixivio, in quo cap. ven. polytrichum, abrotan. similesque plantæ coctæ sint; & post lotionem caput linteo calido fricari; tum inungi.

In affectibus his inveteratis, ubi alia non profuerunt, hoc efficax est: R. pingued. lardi veteris semilibram. terebinthin. uncias tres. lapid. polychrest. ol. tartari ana drachmas sex sulfur. vivi, ceruss. lotæ lithargyr. minij ana semunciam. ellebor. utriusque piper. long. tutiæ præpar. nihil alb. ana drachmas duas. Mixtis affunde succor. depurator. rad. lapath. acut. & scrofular. herb. fumar. scabiosæ cort. inter. virid. sambuci limon. ana uncias duas. Coq. ad succor. consumtionem. Postea adde styrac. liquid. cinnabar. factit. ana drachmas sex. ol. laurin. juniperin ovor. ana semunciam, mercur. subl. sesquidrachmam. Misc. f.

unguent.

unguent. Descriptio lapidis polychresti, qui hoc medicamentum ingreditur, est hæc: R. vitriol. alb. salis nitri ana uncias duas. lithargyr. utriusque ana semunciam lapid. calamin. drachmas tres. Misc. f. pul. coquendus in vin. rub. q. s. ad lapidis duritiem.

Fernelius in juvene carnoso, benè sano, annor. 20. areis ab ortu laborante, hæc suadebat: primò cutem glabram & jam siccam foribus emolliendam & laxandam: venæ sectionem & purgationem inutilem. Fotus fient ex decocto rad. althææ lilior. malv. violar. parietar. sem. anis. lini fœni Græci. Dum hoc fotu pars mollior videbitur reddita, fiat fotus ex salviâ, betonic. stæchad. adiant. cap. ven. abrotan. sem. urtic. & sinap, coctis in aquâ & vini albi parte quartâ. Mox à fotu areæ ungantur adipe ursino. Exactis diebus quindecim, mane & vesperi caput confricetur cæpis contusis, dum prorsus rubescat, & mox melle oblinatur vice cataplasmatis. Si sub his remedijs pilus non erumpat, adhibendum erit hoc unguentum: R. thapsiæ pulv. drachmam. adipis ursin. unciam. Misc. hujus vi si pilus non succrescat, dicit vix spem ullam aliunde esse posse.

In puerulis areâ laborantibus venæ sectio & purgatio locum non habent, sed sola topica sufficiunt. Sæpè satis est, lavare caput vino Gallico, in quo sapo vulgaris sit dissolutus.

CAPVT SEXTUM.

De nimiâ prolixitate, criſpitudine, rectitudine, ſetaceâ rigiditate, redundantia, fiſſurâ pilorum, & pinguitudine.

Pilorum longitudinis, criſpitudinis, duritiæ, fiſſuræ & pinguitudinis cauſæ. Ariſtotelis & Galeni *de criſpitudinis cauſis opiniones expenſæ. Sex modis antiqui pilos tollebant. Mos brevem comam geſtandi à* Carolo V. *venit. Salubre eſt tonderi caput ad cutem. Qui ita tonderi ſoliti. Duplex tonſuræ genus*, cepus & ſcaphium. *Vnde noſtrum* ſcheren. *Medicamentum pſilotrum valdè efficax. Fæminis licet comas ornare, non item viris. Galli nunc & olim cæſariem copioſam alunt. Quomodò criſpabantur veteribus capilli. Quid* cinerarij, cinifiones, calamiſtrum, acus crinalis, diſcriminalis. *Germani quomodò crines torquere ſoliti. Remedia ad rigidos, fiſſos, & pingues capillos.*

PIli longiores, quàm uſus illorum, aut conſuetudo regionis fert, deformitatem inducunt: tamquam ſi in frontem longiùs deſcendant; vel mulieribus in labio ſuperiore myſtax, aut in mento barba oriatur.

Rectos etiam omninò ſeu planos pilos cùm aliqui certis in locis minùs decoros eſſe, criſpoſque illic decere magìs exiſtiment, eos criſpari arte deſiderant.

Sunt alij, qui pilos ita duros habent, ut videantur pili ſuum ſive ſetæ: quod

quod etiam molestum est & indecorum.

Accidit prætereà, ut capilli in capite & barbâ findantur & dividantur; ita ut, qui antea simplices erant, bifidi appareant: quod etiam deforme est.

Denique multis pili pingues sunt & uncti, quasi adipe obliti, adeò ut præ pinguedine splendeant, & sibi mutuò adglutinati cohæreant. Id quod ingratum, ineptum, absurdum est.

Longitudo & luxuria pilorum provenit ab alimenti copia; ratione cujus vis pilos educens ordinarios suos incrementi terminos excedat.

Crispitudinis causam tum *Aristoteles* tum *Galenus* conati sunt adferre. *Aristoteles* attulit duplicem. Primam quidem, diversum motum diversarum partium, quæ pilum constituunt. Inflectitur, inquit, pilus, quia duplici delatione fertur: terrena enim portio deorsùm deprimitur; calida verò & fumosa exhalatio sursùm attollitur: cumque pilus præ suâ imbecillitate inflecti facilè possit, intorquetur, quod pili crispitudo est. At si hæc ratio vera esset, omnes haberemus pilos crispos, cùm in omnium pilis adsit duplex illa materia, terrestris scilicet & calida fumosa.

Alteram crispitudinis causam refert *Aristoteles* in siccitatem: quia, inquit, in pilo parum humoris, multum autem portionis terrenæ inest, efficitur ut pili resiccati ab aëre ambiente contrahantur: inflectitur enim & contrahitur, quod rectum est, si evaporatur: atque convellitur pilus, quemadmodum cùm ab igne aduritur: utpote cùm crispitudo convulsio sit ob humoris inopiam. Hanc eamdem rationem adsignat *Galenus* lib. 2. de temp. cap. 5. quam etiam illustrat similitudine corrigiæ, quæ cùm ab igne plus justo siccatur, intorquetur. Quæ quidem ratio in capitibus & pilis Æthiopum locum fortassis habere possit, sed non in hominibus nostratibus. Nam hic aër ambiens non est tam calidus, ut pilum contrahere, velut ignis, possit.

Tertiam ergò causam producit *Galenus* ibidem, nimirùm meatuum, in quibus pili radicantur, obliquitatem; quam duabus ex causis oriri statuit; vel ex debilitate fuliginis per meatum erumpentis; vel ex densitate cutis. Si enim exhalatio imbecillior est quàm ut rectâ viam sibi parare possit, pro modo, quo inflectitur, etiam meatum suum format. Si verò exhalatio satis valens est, sed duriori cuti occurrat, non poterit rectà ferri, sed in latus reflectetur, & obliquum transitum sub cute molietur. Quales autem, inquit, in radice pili finguntur, tales rationabile est perpetuò fore. Quæ *Galeni* ratio tolerari potest in eâ sententiâ, quæ statuit pilos ab excrementis protrudi, & non verè nutriri: sed in alterâ,

quæ ipsos verè nutriri censet, non apparet admodùm verisimilis: videmus enim in plantis ex anfractuosis, tortis, & obliquis radicibus rectum stipitem exsurgere. Quin pili multorum ad radicem recti planique sunt, in cacumine crispi: id quod poris adsignari nequit.

Itaque forsan meliùs causa crispitudinis in certum cutis temperamentum referenda videtur, quo utens virtus pilorum generatrix tales pilos profert: cùm videamus natos ex Æthiopibus etiam in regione temratâ, crispos habere capillos; & contrà ex Europæis natos in Æthiopiâ non habere. Videlicet sicuti semen lactucæ Hispanicæ in his etiam terris lactucam producit folijs crispis; ita semen talium parentum tali temperie præditum crispos gignit.

Setacea pilorum rigiditas oritur ab alimento, quod planè siccum & terrenum est.

Pilorum fissura fit etiam vel à facultate pilorum genitrice, & sic nativa est: vel ab humore acri capillos in extremitate findente: à quâ causâ fissi pili brevi decidunt.

Capilli redduntur pingues à vapore per cranium tranante pingui, qui sustollitur ab humore uncto. Sunt enim quidam adeò pingui humecto madidi, ut sudore pileos perpingues efficiant; quare & capillos suos simili unguine inficiunt. Atque hos adverto rariùs capitis dolore conflictari.

Pilorum nimia prolixitas tondendo ad eam, quæ decens est & utilis, longitudinem sine negotio magno, uti consuetum est, reducitur. Sex autem invenio modos ab antiquis usitatos, quibus crinium silvam tollerent. Nam aut tondebant forficulâ, aut radebant novaculâ, aut digitis vellebant, aut volsellis eradicabant, aut deglabratorijs medicamentis exstinguebant, aut denique pice resinâve exstirpabant. Nobis tondere aut radere in more est, raró deglabratorijs pharmacis utimur. A centum & quadraginta annis majores nostri non in Belgicâ tantùm, sed per totum Occidentis imperium comâ breviore erant, quàm nos hodiè. Morem illum comam tondendi, cùm sæculis præcedentibus eam, ut nos jam, gestassent, à *Carolo V.* Cæsare cœptum existimat *Fam. Strada*: cùm enim, inquit, *Carolus* anno 1519. ad capessendam imperij coronam venisset in Italiam & minuendo capitis dolori cæsariem deposuisset: exemplum certatim rapuerunt omnes aulæ primores, more, qui per ea prægressaque sæcula tantoperè vigebat, alendæ comæ, imitatione unius, apud omnes abolito. Tonderi ad cutem in diuturno pituitæ cursu, qui morbus literarum studiosis plerumque familiaris ac molestus esse solet,

ſuadet elegantiſſimus *Celſus*. Nimirùm capitis vapores, qui cerebrum percellunt, attonſo vertice eventantur ac diſſipantur meliùs. Ægyptij conceptis verbis capillum puerorum deſectum Divis ſuis nuncupabant, ut ab adverſâ valetudine reſpirarent. Neque aliorsùm *Ariſtotelem* attonſo vertice fuiſſe, quod de eo prodidit *Laërtius*, credi debet. *Mar. Antoninum*, cognomento Philoſophum, optimum Imperatorem, vivâ cute tenus tonſum fuiſſe, & cum eo Medicos omnes, teſtatur *Galenus* lib. 6. epid. Quod patris integerrimi factum degener patrique longè diſſimillimus filius *Commodus* aureâ comâ ſuperbiens mutavit, ejuſque exemplo turba familiarium. Inter athletas, qui in promovendâ corporis firmitudine & euexiâ ſtudium omne ponebant, ij, qui viriliores erant, ad cutem uſque tondebant capillos.

Tonſuram veteres Græci σκερίνν vocant, cujus vocis in noſtrâ vernaculâ linguâ manſit veſtigium: nam tondere comam dicimus *ſcheren*. Commemoratur autem apud ſcriptores duplex tondendi genus, *cepus* & *ſcaphium*. Exiſtimatur *cepus* illud tonſuræ genus, quo cæſaries frontem obumbrans ornatus gratiâ reſecatur, exæquando capillos pendulos ad inſtar tonſilis fruticeti herbarum hortenſium, quibus muſcaria & cacumina amputant olitores, ne inæqualitas areolas deformet. *Scaphium* verò, quando ad ipſam uſque cutem calvam ambientem ſucciditur: cujus non abſurda ratio eſt, quòd, ubi totum cranium tondetur, piſcatoriæ ſcaphæ inverſæ formam referat, cujus uti prora puppiſque eminentiores exſtant, ita latera hinc indè ſubſident depreſſa; quod in temporibus videre licet. Manſit & hujus vocis veſtigium in noſtrate linguâ, quâ qui villoſos pannos longis forficibus attondent, *ſcaepeſcheren* appellant, quaſi σκαφιοσκερίνν dicas: quoties ſtrictim ad ipſam uſque panni carnem, ut ita loquar, detondent villos.

Radimus ea loca, quæ volumus prorſus pilis eſſe nuda & glabra, ut malas & menti partem. Quæ & alia ſi volumus ex toto depilari, neque in poſterum pilos renaſci, adhibenda ſunt pſilotra. Inter quæ efficax & probatum eſt hoc: ℞. calcis vivæ uncias duas. auripigmenti drachmas ſex. rad. irid. Florent. ſemunciam. ſulfur. nitri ana drachmas duas. lixiv. ſtipit. fabar. fort. libram. Miſce & coq. in ollâ novâ vitreatâ, ad juſtam conſiſtentiam; quod cognoſces, ſi penna oblinita plumas dimittat. tum adde ol. ſpicæ drachmas duas, vel alia odorifera; & f. ungu. ex cujus illinitione pili, in quâcumque corporis parte ſint, ſtatim decidunt. Locus autem depilatus ungatur unguento roſaceo. Jam ne renaſcantur denuò pili ablati; ℞. hyoſcyami manipulum: teratur cum aceto vini, & formâ cataplaſmatis applicetur.

Fœminis

Fœminis hoc peculiare, ut circa comarum nutritionem quàm maximè occupentur. Neque injuriâ fortaſſis, quandoquidem capillamenti decorum adeò fœminas deceat, ut quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtrinxerit, ornata non poſſit videri. At viros cum affectatione quâdam & curâ capillos ſtudioſè colere, & ad lenocinia decoris ſe demittere, minimè decet. Hos *Seneca* dicebat ſolicitiores eſſe de capitis ſui decore, quàm de ſalute; quippè qui inter ſpeculum pectinemque occupati ſint; qui concinniores eſſe malint, quàm honeſtiores; qui rempublicam ſuam turbari minùs curent, quàm comam; ſi ſcilicet

Vnus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus, inſertâ non benè fixus acu.

Sicut de molli quodam & effœminato *Martialis* cecinit. *Archeſilaum* Philoſophum *Plutarchus* refert vehementi verbo uſum eſſe in quemdam nimis delicatum divitem, qui incorruptus tamen & perinteger habebatur. Nam cùm vocem ejus infractam, capillum arte compoſitum, oculos ludibundos, atque illecebræ voluptatiſque plenos adſpiceret: nihil intereſt, inquit, quibus membris cinœdi ſitis; poſterioribus an prioribus. Conſuerunt tamen & nunc & olim Franci ſive Galli comam alere elegantem, & cæſariem inſignem ac copioſam lubenter oſtentare. *Claudianus:*

--------- *tum flava repexo*
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro.

Ideò fortaſſis, quòd Franci, id eſt, liberi potiſſimùm nominarentur. Liberorum autem ſive ingenuorum eſt, comatos eſſe.

Longæ hæ comæ ſi rectæ eſſent, criſpabantur. Tonſores ad hoc peculiariter conducti, qui *cinerarij* dicebantur; quòd unum de miniſterijs eorum eſſet, calfactis in cinere calamiſtris torrere ac vibrare crinem. Ijdem vocati & *cinifiones*; quòd in cinerem flarent, ad calefaciendum inſtrumentum, quo capillos criſpabant. *Ornatrices* etiam & *concinnatrices* nuncupabantur puellæ, quæ mulieribus comas exornabant, & crines diſponebant per *acus* & *veruta*; edoctæ ab artis magiſtris ad hoc artificium. Acus iſtæ *comatricæ* appellantur à *Petronio*; ab *Apuleio* autem *crinales*. At *Plautus* vocat *calamiſtrum*, quo criſpatur in annulos capillitium. *Iuvenalis* calamiſtro criſpare comam: comam in gradus frangere *Plinius* dixit. vibrare ferro crines *Virgilius*: uſtulare candente ferro crines *Pacuvius*. Dicebatur & *diſcriminalis acus*, quæ capillos mulierum ante frontem dividebat. Ornatus ipſe, quo capilli ſic dividebantur ante frontem, *diſcrimen* dictum. Germanorum cirri in nodum erant ſubſtricti. *Martialis:*

Crinibus

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Vulgò locum illum exponunt; crines in nodum tortos esse calamistro ad speciem nodi vibratos, intortos, ac rotatos crines: quemadmodùm in fluctum tortos crines dixit *Manilius*, qui instar fluctuum exhibent. Tortos autem aliter esse Æthiopum crines, quia naturaliter, non arte, crispi existunt. At illi non rectè sentiunt. Non enim hic mos umquàm Germanorum fuit, crines calamistris inurere, aut alio modo ornare. *Clemens Alexandrinus*: Celtæ & Scythæ, inquit, comas alunt, non ornant. Atqui pars longè maxima capilli ornandi est calamistri & crinium inflexio, quæ ferro fit calido. Phrygum hoc fuerit proprium, & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum passim objectum, quòd haberent comas

Vibratas caldo ferro, murrhaque madentes.

Longè hoc à Germanis. Quid igitur hi, aut quomodò crines torquebant? qui simplicissimus fuit mos, in nodum eos cogebant. Ex ipsâ nimirùm comâ, quam satis longam nutriebant, nodum faciebant. Quia verò non datur ex crine nodum in capite facere, nisi torqueatur, ideò *tortos in nodum crines* dixit *Martialis*, in nodum coactos, vel nodo substrictos. Rectam quippè ac prolixam cæsariem nodare non possis, nisi in modum funis obliques eam ac torqueas. Sic in nodum facilè ducitur, neque aliter quitum est. *Tacitus* de moribus Germanorum sic explicandus: *insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere*. Quem locum perperàm capiunt de crine calamistris vibrato. Neque altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem & obliquarint. Obliquant crinem, & nodo substringunt, quia nodo aliter substringere nequeunt, nisi obliquatum ac tortum. Ideo obliquandi crinis meminit; ut ostenderet, ex ipso crine nodum eos facere solitos, non alio vinculo nodare. Nam vinculo aut tæniâ potest nodari ac religari crinis etiam rectus, & in rectum descendens: at ex ipso crine nodum facere non datur, nisi obliquato ac torto. Iste crinis in nodum tortus & coactus vocatur *cirrus*, qui idcircò etiam Germanorum proprius fertur ab auctoribus. Iam ad Medicinam redeamus.

Ad crassiores, rigidioresque & setaceos pilos reddendos tenuiores mollioresque valet hoc lixivium. R. majoran. hyssop. salviæ thymi ana manipulum. lavendulæ manipulos duos. cort. citri vel arant. sicc. uncias duas. lupinor. & orobor. ana unciam. flor. stœchad. rorismar. genist. rosar. ana pugillum. fol. senæ unciam. agaric. cortic. colocynth. ana semunciam. bull. in lixivij q. s. colatura detur usui.

Fissura pilorum corrigitur, si pars illa, quæ fissa est, abscindatur: atque ea, quæ remanet, circa extremitates felle inungatur: posteà rursùm decocto herbarum capillarium, abrotani, polytrichi, & similium pili abluantur.

Pinguedinem pilorum aufert hic pulvis inspersus: R. rad. Irid. Florentin. uncias duas. flor. violar. recens siccat. semunciam. rad. cyper. rot. drachmam. ol. stillat. rosar. veri scrupulos quatuor Misc. f. pulvis subtilissimus. Gratissimi est odoris; cerebrum & omnes spiritus recreat, nec sexui muliebri est adversus.

CAPUT SEPTIMUM.

De tricis seu trichomate, quam *Plicam* vocant.

Plica quid sit: quibus regionibus sit familiaris. Est duplex; mascula & fœmina. Quæ sit causa plicæ: Historicorum de eâ sententiæ. Signa & symptomata plicæ: aliquandò caret pediculis. Vocatur Polonicè gozdziec. *Plicam fabulosam, imaginariam, & superstitiosam esse audet scribere* Davissonus *natione Scotus: ejus argumenta examinantur & refelluntur. Plicæ curatio.*

PLica est pilorum sibi invicem junctorum adeò arcta intricatio atque implicatio, ut nullo pacto ampliùs discerni aut extricari possint, à certâ causâ internâ & præter naturam proveniens. Familiaris est hic affectus & quasi endemius Polonis, præcipuè Russis, quorum infantes sæpè cum eo nascuntur. Vidi tamen eum etiam Patavij in fœminâ Germanâ, in cujus ædibus habitabam.

Poloni duplicem statuunt plicam: alteram *masculam*, alteram *fœminam*. Hæc totum horribili spectaculo involvit caput, ita ut non tam capilli, quàm aliquis pileus congenitus homini videatur. Mascula est, quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum spiras habet.

Hujus mali causæ sunt vitiosi & maligni humores, ob peculiarem loci, præcipuè Russiæ, aëris, & aquarum genium ad caput ferri, & in pilos

commutari

commutari apti: quemadmodùm in Alpibus Rheticis, Stiriâ, & Caryinthiâ aquarum vitio bronchocelæ & strumæ incolis adnascuntur, materiâ vitiosâ in glandulas colli, & non in alium locum detrusâ.

Ioachimi Pastorij Florus Polonicus lib. 2. cap. 14. narrat, tempore *Lesci Nigri* Poloniarum Principis, in Russiâ (rubra) à transeuntibus Tartaris, immissis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas nova morborum genera peperisse, quorum ut causa diu fefellit Medicos, ita soboles hodie quoque in inexplicabili tricarum contage, quam *plicam* vocant, creditur vulgo superesse. *Spondanus* etiam anno 1287. num. 10. ita scribit: cæterùm ne Russi quidem, quamquam socij, prorsùs expertes malorum à Tartaris fuere. Nam excessuri illi è Russiâ, ut est malitiosum hominum genus, atque incantationum & veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exsectis captivorum cæsorum cordibus, & præsentissimo veneno imbutis, ac verubus subter aquas defixis. Undè plurimi mortales, cùm seriùs mali causa animadversa esset, miserabiliter exstincti sunt. Idem aiunt *Brovius*, *Cromerus*, *Dlugossius*, alijque historici Poloni. Et concors in Russiâ traditio est, plicam ab illis aquis infectis esse derivatam. Cui favere potest regionis ipsius temperamentum seu indoles. Nam plicâ laboranti caput radere in Poloniâ, perniciosum; in Tartariâ verò, si quis plica affectus eò deductus captivus fuerit, rasura minimè nocet, ob climatis benignitatem.

Defertur ista materia vitiosa & maligna ad pilos non per modum fuliginum, ex quibus tantùm creduntur oriri pili; sed simul cum sanguine; utpote quo pilos ipsos nutriri, hinc manifestum est, quòd pili hi intricati abscissi aliquandò sanguinem fundant.

Est plica symptomaticum quid, sed aliquandò criticum, ortum ex materiæ istius vitiosæ expulsione versus caput. Nam plica nihil periculi ægro adfert, sæpèque sine ullo damno ad mortem usque circumfertur. Id verò, quod maximè ægrum infestat, est humor ille malus in corpore hærens; undè pili oriuntur; hic enim est, qui gravissima illa symptomata efficit, quæ jam enumeratum eo.

Incipiente trichomate unus & alter cirrus in capite vel barbâ excrescit, cum vicinis sibi crinibus introrsùm implicatus & densus. Antequàm is excrescat, vel etiam quamvis excreverit, modò tamen materia vitiosa in corpore redundet, ossa infringuntur, laxantur artus, membra conglobantur ac retorquentur: gibbi efficiuntur, pediculi funduntur, quibus caput ita oppletur, ut nequaquàm purgari possit: Sed hoc non est perpetuum, ut pediculi in plicâ adsint. Narravit mihi Loveni Illustris. *D. Theodorus*

Skuminovius Epiſ. Gratianopol. ſe noviſſe nobilem Polonum *Petrum Nieſmierſki* ferè ſexagenarium in albâ Ruſſiâ, cui capitis pars plicâ fœminâ ad inſtar piloſæ pyramidis cirrata, nullum umquam habuit pediculum: quin è contrario, ſi vivus pediculus capiti ejus imponeretur, moriebatur Si cinni hi & cirri radantur intempeſtivè, humor malignus & virus in corpus relabitur, & ægros jam dictis modis torquet. Caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturæ, omnes corporis partes exagitantur. Ideòque morbus hic Polonicâ linguâ vocatur *Gozdziec*, quaſi clavatus; quòd corporis, capitis præcipuè, clavis confixi dolorem æquet. Ungues aliquandò, præcipuè in pedibus & maximè in pollicibus, ſcabri, longi, & nigri fiunt inſtar cornu hircini Obſervatum eſt, qui tales faſciculos implicatorum inter ſe crinium deraſiſſent, vel ungues illos præſcidiſſent, oculis captos fuiſſe; aut defluxionibus ad alias partes graviſſimè afflictos. Purgantia uſitata ſi exhibeantur, efferatur magis malum. Quidam cùm aliquot annis hoc genere mali cruciati eſſent, nec caput raſiſſent, ſed omnem ſpurcitiem ac moleſtiam pertinaciter pertuliſſent, tandem virulentis illis cirris ſponte ſuâ decidentibus convaluere; conſumtâ ſcilicet totâ illâ malignâ materiâ in capillos: quod de maſculâ plicâ intellige; nam fœmina eſt immedicabilis. Contrahitur hoc malum etiam per contagium, ſi quis aliquoties ſibi imponat pileum ſudore plicâ laborantis madidum.

Hæc, quæ retuli, ita eſſe & ſic ſe habere univerſi omnis ordinis Poloni, maximi, medioxumi, minimi, adfatentur: eaque fuit conſtans tot ſæculis ſententia, à parentibus inculcata, abavis, proavis, atavis, tritavis propagata & tradita, tantoque cum ſuo malo vera comperta. Quam tamen jam nunc ridet *Wilhelmus Daviſſonus*, nobilis Scotus, Chriſtianiſſimi Galliarum & Navarræ Regis Conſilarius & Medicus, domus hortique plantarum medicinalium, qui Pariſijs in ſuburbio S. Victoris eſt, olim præfectus: nunc autem S. Regiæ Majeſtatis Poloniæ & Sueciæ ſenior Archiater & Chemicus: S. Reginalis itidem Majeſtatis in vulgari Medicinâ perſonæ Medicus. Nam in ſuo Prodromo commentariorum ſcotiorum in *Petri Severini* Dani ideam Medicinæ Philoſophicæ *pag.* 450. vocat plicam Polonicam *morbum ex ſuperſtitioſarum mulierum cerebro natum, & in credulos aliquos Medicos tranſplantatum.* Audax Herclè & intolerandum facinus, ab homine alienigenâ nobilem, potentem, ſtrenuam, ingenioſam gentem, à cujus Magno Rege Reginâque lautiſſima meret ſtipendia, ſcripto publicè edito traduci ut ſtolidam, ſtultam, infrunitam, delirantem. Quid enim aliud cenſeas de eo, qui morbum hunc ſæviſſimum immeritò morbi nomine inſigniri; quæ de eo narrantur, aniles eſſe fabulas, eiſdemque

adſen-

adsentientes judicij & mentis non esse compotes ait, hoc est, sincipite esse non satis sano. Et hoc se agere obtendit, ut *ponat auxilium nobilissimæ & fortissimæ nationi; ut non solum medelam gravissimis affectibus corporum adferat, qui sub nomine plicæ occultantur, sed etiam animos moderatiorum hominum à tyrannide fabulosâ & superstitiosâ deinceps liberet*, id est, paucioribus verbis, ut genti fatuæ mentem restituat. Hic videlicet alter est *Hippocrates*, qui è longinquo accersitus insanienti *Democrito* opem & salutem laturus est; at *Democrito* quàm ipse *Hippocrates*, sapientiori. Septem annis inquit se in Poloniâ degisse: Tantulo tempore sibi arrogat, acquisivisse scientiam, quâ veram de plicâ opinionem tot sæculis irroboratam convellat & proterat. Id quomodò exefficere conetur, operæ pretium est videre.

Principio ablegat nos ad consultationem Patavinam, quæ proponit hominem triginta annorum, boni habitus, apud Polonos repentè fieri debilem, tremulum, aut lividum & exsanguem; deindè post tres aut quatuor dies capillos capitis crispari, in varios cirros involvi, figuras quasi anguium repræsentantes, qui puncti sanguinem effundant, cum furfure, pediculis, spurcitiâ & fætore totius capitis. His ita se habentibus accedere Medicum, qui si sanguinem miserit, aut purget, vel pilos ad spurcitiam illam auferendam radat, illicò sæva symptomata advenire, dolores oculorum, articulorum, ossium, membrorum contractiones &c. Adversus quæ hæc reponit.

Quòd hominem triginta annorum pro exemplo supponant, error est: nam non solùm contingere videtur hominibus triginta annorum, sed pueris aliquandò trium annorum; imò & nuper natis, si ita matris aut nutricis superstitioni placere licuerit. Neque repentè fiunt debiles, sed præviam aliquam experiuntur causam debilitatis, quamvis non à plicâ. Similimodo nec tremuli, nec pallidi, nec exsangues repentè fiunt, sed post manifestam aliquam actionem læsam. Neque post tres aut quatuor dies capilli capitis crispantur, neque involvuntur in tales circos, varias figuras quasi anguium recipientes, nisi arte per contrectationem crebram quasi per artem fulloniam introducantur. Neque puncti sanguinem effundunt, sed de furfure, pediculis, spurcitiâ, inhonesto fætore totius capitis. Hæc à veritate haud aliena sunt, illa enim omnia accidunt illis, qui datâ operâ ut in complicationem concrescant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt. Sed cùm accedit Medicus, qui sanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad spurcitiem illam auferendam radere velit, illicò illis symptomata sæva accedere somniant. Ego illis sic occurro. Consultatio illa est *Roderici à Fonseca* Olyssiponensis, in patavinâ Academiâ Medicinæ

practicæ Professoris, in quâ proponit sibi hominem triginta annorum plicâ laborantem, verbi & exempli dumtaxat gratiâ, velut in consultationibus & consilijs, ut vocant, fieri adsolet, non quòd tantùm illâ ætate affectum istum invadere existimarit: invadit enim & torquet mortales ætate quâlibet. Atque ut confessum accipio, quod ipsus hic ait, etiam *nuper natos* interdùm corripi. Quid autem tum matris aut nutricis superstitioni est adsignandum? Cirros in infante videre, tangere non est superstitiosum. Aut vult fortassis matrem imaginari, cirros in infante esse, qui non existunt? Hoc jam est phreniticam aut aliter deliram matrem dicere, similemque *Theophilo* Galenico tibicines in conclavi suo canere garrienti, qui nusquàm essent. Et si mater forsan id pravè imaginata fuit, adstantes tamen quidam sapiebant, qui falsam matris imaginationem rejecissent, nec narrari aut credi passi fuissent, infantem cirratum esse, qui nuper in lucem sit editus. Repentè autem fieri debiles, tremulos, pallidos etiam ponit verbi tantùm causâ: non quòd ita semper & perpetuò accidat. Et *repentè* ipsi non est *confestim, statim, extemplò*: sed *sine manifestâ causâ*, quæ à prudentibus adstantibus aut Medicis advocatis potest accusari; v. g. nullo prægresso animi pathemate, nullâ febre, nullo dolore, nullâ vehementi corporis exercitatione, nullâ inediâ &c. Debilitatem autem, tremorem, pallorem non à plicâ seu capillorum contortione fieri, verùm est: at fit à materiâ malignâ, virulentâ, venenatâ in corpore vagante, à quâ deindè fit plica. Similiter verum est, non semper post tres aut quatuor dies ab illâ debilitate, tremore, pallore capillos crispari, sed sæpè longo pòst tempore; aliquandò tamen citò, prout natura valens vel invalida est, & materia pauca vel copiosa. Quod postea addit, *capillos in tales circos* (cirros dicere debuit) *non involvi, nisi arte per contrectationem crebram quasi per artem fulloniam introducantur*. Hoc à vero alienum est. Testem appello universam cirratorum in Russiâ turbam, quorum nullus in capillos suos fullonicam se exercuisse aiet; cùm caput rasum habeant relicto uno in sincipite aut circa tempora tutulo; in hunc ergò solum fullonicam exercere queunt: atqui è reliquo capite toto excrescunt cirratæ spiræ. Et in puerulis trimis, nuperque natis infantibus nihil capillorum est per artem fulloniam complicandum; tamen hi quoque eo affectu laborant. *Punctos illos capillos sanguinem non effundere, sed de furfure, pediculis, spurcitiâ, inhonesto fœtore totius capitis eundem prodire*; partem verum est, partem non verum. Furfures, spurcitia, inhonestus capitis fœtor sanguinem haud fundunt, nec fundere possunt: pediculi

culi possunt. Est autem, cùm caput plicâ deformatum nullos alat pediculos, ut de *Petro Niesmierski*, nobili Polono antè relatum est; in eo si pili crassefacti sunt, si eorumdem cavitas patentior reddita, utique abscissi sanguinem stillabunt; qui eo casu non fundetur è pediculis. At inquit, *illa omnia accidere illis, qui datâ operâ, ut in complicationem concrescant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt.* Sunt agasones, muliones, aurigæ in Germania, Gallia, Italiâ, Hispaniâ, qui numquam vel rarò pectine crines dispescunt, non cruciantur tamen umquàm illis malis, quæ in plicâ evenire advertuntur. Est in Europâ natio misera, quæ vix alium capillitij usum agnoscit, quàm ad detergendas manus à pinguibus cœnæ sordibus, cæteràque omni illuvie: quâ de causâ ingentes concretorum crinium spiras alit in humeros usque dependentes, quibus vice mantilium diffluentes pinguedine ciboque digitos solet inijcere; eoque pacto extergere; nescit tamen illos cruciatus, quibus Polonicâ plicâ affecti torquentur. Et in Russiâ tonso ad vivam cutem capite nequeunt Fulloniam in plicando pilo artem exercere, quibus tamen plicâ supervenit.

At *somniant*, inquit, *sibi symptomata illa sæva accedere, cùm accedit Medicus, qui sanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad spurcitiem illam auferendam radere velit.* Hìc iterùm *Corœbos* aut *Morychos* facit Polonos, quippe vigilantes dicit somniare, & sentire tormenta, quæ non sunt. Dum vult dumtaxat Medicus sanguinem mittere, dum vult purgare, dum vult pilos radere, nulla accedunt sæva symptomata; ideòque neque illa se sentire somniant sapientes Poloni. Sed dum Medicus sanguinem misit, purgavit, pilos rasit, tum demum accedunt, & reverà ab ægris sentiuntur. Pergit:

Ego plures quàm sexaginta plicas istas immensas latitudinem caudæ castorinæ superantes, imo & usque ad coxin propendentes, aliquibus abscindi curavi absque ullo pravio remedio adhibito, aut symptomate qualicumque subsequente; Alij negarent id factum: sed ego credo Viro Nobili id publicè affirmanti: & dico, id feliciter successisse ijs, quibus tota materia virulenta in pilos erat absumta; ijs enim interdùm sponte cirri decidunt, & sani evadunt. At quibus multum materiæ malignæ in corpore superest, isti non impunè ferent pilorum resectionem: sed doloribus oculorum, cæcitate, articulorum, ossium, membrorum contractionibus corripiuntur.

Illicò dolores illos à plicâ abscissâ oriri non deprehenderam; imo potius asserem

rem

rem istos dolores perpetuos capitis non aliunde oriri, quam à radicibus istis capillitiorum, quæ divaricantur sub fullatione, quia plicata capillitia trahunt; non plicata in fundo in unum & perpetua vellicatione dolores pariunt immensos & perpetuos, & præcipue quando submisse in tergum dependet, nam tunc pondere suo totum pericranium torquet, & in consensum trahit. Non semper illicò dolores illi plicâ abscissâ ingruunt; sed aliquandò citiùs, aliquandò tardiùs, pro naturæ & materiæ nocentis conditione. At enim dolores istos oriri ideò, quia capilli plicati pondere suo pericranium torqueant & trahant; id minimè est credendum. Nam etsi dolorem capitis fortassis eo pacto inducere possint, articulorum tamen, ossium, membrorumque contractiones non queunt suo pondere facere. Et multo plures sunt, quibus non demittitur conglomeratum capillitium in tergum & coxas usque, sed solùm dependet hic & hic cirrus unus & alter, pondere suo nequiens pericranium detrahere: atque in his tamen etiam dolores tales contingunt.

Deindè scribit quemadmodùm ophthalmia curanda sit. Nimirùm primò mittendum esse sanguinem ex venâ maximè apparente ad uncias novem: nocte sequenti admovendum post aures emplastrum vesicas excitans, *Vtantur*, inquit, *isto remedio, & nullo alio, & respondebo pro vita nullam cæcitatem inde subventuram. Si hoc consilio usi fuerint ante decursum annorum 20. & apparuerit plica in tota Polonia, capite plectar pro præmio.* Occisissimus est Archiater iste, acephalus est. Quid? Non apparituram plicam in totâ Poloniâ, si ante vicesimum annum sanguis mittatur, & post aures applicetur vesicatorium? atque in eam rem caput suum oppignerare? Jam nunc sine capite est, si verbo suo stet. Ne quidem promitti potest, non secuturam cæcitatem, etsi benigna sit ophthalmia, quandò tamen magna est; quantò minùs, si sit maligna, venæ sectionem respuens. Prætereà plica sæpè venit sine ophthalmiâ. Quid ergò proficiet tum sanguinem misisse, vesicatorium pone aures adhibuisse ante annum ætatis vicesimum, ad avertendam ex totâ Poloniâ plicam?

Plica sic fit: cum morbi homines lecto diu detinere soleant, progressu temporis, crebra crinium contra pulvinaria perfrictione, longoque super crines decubitu, aut pectinandi intermissione concrescunt crines, modò in occipite aut circa tempora.

Si plica non aliundè, quàm ex causis illis fiat, multo frequentior esset plica hic in Belgio, Galliâ, Germaniâ, Italiâ, quàm in Poloniâ: nam in illis regionibus viri comati sunt promisso capillitio; in Poloniâ detonsam habent calvam. Sine dubitatione igitur alia plicæ subest causa,

causa, quæ & illa mala infert symptomata, qualia non comitantur intricationem pilorum ex longo decubitu. Qui enim ex cachexiâ, hydrope, phthisi, paralysi diutulè lecto affiguntur etsi fortè implexos capillos habeant, quòd longo tempore pexi non sint: haud tamen illis cruciatibus torquentur, qui in plicâ adesse observantur: qui quidem à plicâ non efficiuntur, sed à materiâ venenatâ in corpore hærente, & in pilos symptomaticè vel criticè missâ. Neque hæc sunt imaginaria, fabulosa, ex rusticorum superstitiosorum aut muliercularum ingenijs nata, ut ipse contendit, sed pluribus sæculis in Russiâ explorata, ac vera comperta, magno cum hominum malo. Habet is affectus multa accidentia luis venereæ vel scorbuti; attamen ab utroque morbo isto diversus est; pluresque remedijs antivenereis & antiscorbuticis frustrà diu curati ac macerati senserunt tandem suo detrimento infestari se eo humore, qui plicam facit. Ad colicam biliosam universè etiam referri nequit; ut ut enim aliqui, antequam plica se ostendat, coli aliorumque intestinorum doloribus tententur, hoc non est perpetuum, sæpèque colica nulla antecedit. Quin aliquandò plica se prodit, absque ut homines diu in lecto decubuerint; ita ut vel tum saltem non possit pilorum implicatio adscribi crebræ crinium contra pulvinaria perfrictioni, longoque super crines decubitui. In Russiâ & Poloniâ malum hoc quoque invadit equos; qui si hìc per solidum decennium strigile non pectantur, minimè eo corripientur. Barba denique etiam multis implicatur; an & id ad longum in lecto decubitum referendum? Ego quidem haud accredo; neque hìc quisquam Capucinorum longibarborum, quantumvis diu ægrotus in lecto jacuisset, taliter cirratos barbæ crines habere visus est. Hæc sunt, quæ pro tuendâ Polonorum sapientiâ dicere habui: censeoque cognitionem istius mirabilis affectus potiùs hauriendam esse à Medicis Polonis Russisque, quàm ab externo Scoto, qui septem vel octo tantùm annis in Poloniâ habitavit.

Constat Polonorum omnium experientiâ, in hoc malo purgationes & venæ sectionem adhibitas non prodesse, sed nocere. Videtur ergò hic morbus, ut sanetur perfectè, proprium & specificum postulare alexipharmacum, sicut scorbutus, & lues venerea, atque alij occulti morbi. Quod alexipharmacum interim dum investigatur, potest usurpari theriaca, quæ est alexipharmacum universale. Detur ergò theriaca frequenter, sudorque provocetur, maximè è capite: sic enim materia illa vitiosa citiùs ad capillos, quò tendit, evocabitur: ad quod ipsum

plurimum confert, ut agrestium Polonorum experientia docuit, lotio capitis parata ex decocto foliorum brancæ ursinæ, & herbæ, quæ Polonico idiomate nominatur *dereza*: serpit humi in locis arenosis, quibus crescunt pinus. Est *muscus terrestris*, de quo in Herbario suo *Dodonaus* part. 3. lib. 15. cap. 14.

CAPUT OCTAVUM.

De porrigine seu furfuribus.

Porrigo quid; quas partes occupet. Ejus causa. Qui cognoscatur. An sit salubris. Curatio ejus.

Porrigo seu furfures, vel, ut alij dicunt, *furfuratio* est affectus, in quo inter scalpendum & pectendum quædam furfuribus similia ex capitis cute decidunt. Occupat aliquandò hoc malum etiam barbam & supercilia. Fit plerumque sine exulceratione; aliquandò tamen cum levi exulceratione.

Causa porriginis sunt humores serosi & ichores pituitosi salsi, vel biliosi; qui dum per poros cutis exitum quærunt, partes quidem eorum tenuiores discutiuntur, crassiores autem & lentæ in cute hærent, & in materiam furfuraceam abeunt.

Affectio hæc se prodit, dum caput scalpitur, fricatur, vel pectitur: imò aliquandò, si grave malum est, dum leviter crines moventur; tum enim squamulæ decidunt.

Aiunt vulgares hanc affectionem esse sanam: signum quippè cerebri se per furfures illos expurgantis. At dicendum: salubre quidem & sanum esse, quatenus cerebrum se purgat: sed insalubre esse signum, quatenus significat in capite talis vitiosi humoris redundantiam.

Ut sanetur porrigo, præmissâ totius evacuatione, si frequenti pectinatione non cedat, lavetur caput decocto cicerum & malvæ, addito aceto; & vice saponis usurpentur amygdalæ amaræ contritæ. Si per hæc parùm proficitur, radatur caput, & eodem dicto decocto abluatur, dein panno aspero fricetur, atque hoc unguento illinatur: R. hyssop. virid. semipugillum adip. anesr. drachmas duas. Pulpæ colocynthid. olei keirin. ana semunciam thapsiæ drachmam. ladani unciam. fiat unguentum. Hæc quoque lotio optima est, & sufficiens sola.

R. malvæ

R. malvæ betæ lapath. acuti cum rad. hederæ arboreæ centaur. minor. ana manipulum. caulium rubr. semimanipulum. colocynthid. drachmas tres. agaric. drachmam. fol. senæ semunciam. ellebor. nig. sesquidrachmam. coq. in aq. com. ad libras tres. colaturæ adde salis com. pugillum. Multis etiam profuit primò caput lixivio communi lavisse: deindè caput exsiccasse. Secundò, aceto vini, in quo semen urticæ parùm contusum bullierit. Tertiò & ultimò aquâ nitidâ, in quâ radix malvavisci cocta sit.

Alia decoctio pro lotione capitis: R. rad. lapath. acuti enul. campan. ana unciam. malvæ bismalvæ parietar. saponar. ana manipulum. lupin. fabar. ana uncias octo centaur. minor. pugillum. horderi integ. uncias tres. f. decoct. in aquâ. Sed & lotio capitis cum urinâ, vel aquâ salsâ, vel vino sæpè benè fecit.

CAPUT NONUM.

De morbo pediculari, & vermiculis capillos depascentibus.

Quid morbus pedicularis: Vermiculi capillorum. In quibus partibus pediculi speciales oriantur, eorumque nomina. Pediculorum & vermiculorum causæ. Adversus utrosque remedia exquisita.

MOrbus pedicularis, Græcè phtheiriasis, est is affectus, in quo quispiam pediculis, maximè in locis pilosis, scatet: ut in capite, barbâ, superciliis, palpebris.

Ad hunc non inconvenienter referri potest alter affectus, in quo capilli tum capitis, tum barbæ particulatim & frustillatim à vermiculis quibusdam erosi decidunt vel absumuntur. Sunt enim & hi pediculorum species; sed tam exigui sunt, ut visum penè fugiant, similes lendibus, quos vocamus Flandricè neten / Gallicè *lenges*: creduntúrque esse ova pediculorum.

Circa pudenda in pilosâ cute impacti atque inserti observantur pe-

 diculi

diculi alterius generis, vehementem pruritum & lancinationem excitantes, ac pertinacissimè hærentes, vocanturque *pediculi inguinales*, vulgò *morpiones* & *plattulæ*.

Denique in nudâ manuum volâ peculiare aliud pediculorum genus deprehenditur sub cuticulâ latitans, levi tuberculo vel fissurâ illic apparente, pruritúque continuo se prodens. Sunt etiam hi adeò exigui, ut vix, etsi eximantur, possint videri, motúsque eorum observari, nisi speculo imponantur. Dicuntur *sirones* vulgo & *cyrones*: fortassis rectiùs *cheirones*, cùm χεῖρας, id est, manus occupent: sed tamen & alias corporis partes occupare nihil vetat. Latinè vocantur *acari* & *teredines*.

Materia pediculorum ex Medicorum consensu est humor excrementitius præter naturam, calidus moderatè, actu & potestate humidus inter crassum & tenuem medius, & potiùs ad ichorem quàm ad crassum vergens; putrescens non excellenti putredine, sed miti & moderatâ.

Causa efficiens dispositiva est calor benignus & moderatus, qui cùm in pueris sit, hinc illi pediculorum sunt feraciores, quam adulti, qui habent calorem acriorem.

Procatarctica causa præcipua est neglectus curæ corporis & immundities: edulia item, quæ pinguem succum generant, inter quæ primum locum obtinere volunt ficus.

Vermiculi capillorum à simili causâ producuntur, excrementitio scilicet quodam humore, qui cùm alimento pilorum in capillos penetrat, atque in ijs à calore capitis fotus in vermiculos facessit; qui capillis adhærentes pilos corrodunt, ita ut frustillatim decidant.

Cognoscuntur pediculi visu & tactu. Estque turpis ea affectio & molesta: imò periculosa, si totum corpus occupetur: nam quidam eo malo exstincti narrantur.

Vermiculi deprehenduntur, quando pili breviores fiunt & inæquales, sic ut alij magis alij minùs curti sint. Hærent hi vermiculi in extremitatibus pilorum, eosque arrodunt.

Cùm præcipua ferè morbi pedicularis causa sit immundities corporis, pro curatione & præservatione studendum imprimis corporis munditiei. Si sanguinis impuritas, & aliorum humorum redundantia affectui occasionem præbeant, evacuandum est corpus ijs ferè, quæ in scabie conveniunt: & hìc sudoris provocatio est utilis.

Quibus factis ad peculiaria pediculos abigentia est procedendum: eaque potiùs extrinsecùs adhiberi debent, quàm intùs sumi. Quamquàm

quàm aliqui allium comesum, vel cum decocto origani potum pediculos fugare prodant. Theriacæ quoque frequens usus pediculis adversus est.

Inter externa præstans est hoc decoctum: R. rad. aristol. rot. sesquiunciam ellebor. alb. vel nigr. semunciam. fol. absinth. marrubij summit. centaur. minor. ana manipulum. sem. staphisag. lupin. ana semunciam. agarici uncias duas. coq. in lixivio pro ablutione capitis, vel manuum, vel aliarum partium, ubi pediculi versantur. Si sal, alumen, nitrum addantur, efficacius erit. Post ablutionem & abstersionem potest hic pulvis capillis inspergi: R. sem. staphisag. drachmas duas. salis drachmas tres. aloes drachmam. cinnabaris sesquidrachmam. Misce, fiat pulvis.

In corporibus robustis argentum vivum adhiberi potest, ut R. ol. commun. uncias tres. staphisag. argent. vivi salivâ jejuni hominis exstinct. ana drachmas tres. fiat unguentum, quo caput illinatur, postquam lotum est aquâ marinâ vel salsâ. Item R. mercur. sublimat scrupulos duos: dissolve in aq. absinth. librâ. Eâ caput humectetur: omnes pediculos brevissimè abigit, crustasque capitis sanat.

Est usitatum unguentum contra pediculos in pharmacopolijs quibusdam, quod recipit sem. staphisag. ellebor. alb. sal. Mercurium, axung. porcin. ol. laurin. saponem & acetum. Efficacius & præstantius est hoc: R. ol. laurin. uncias quatuor. succi rutæ uncias tres. Misc. & coq. ad succi consumtionem. Posteà adde argent. vivi salivâ jejuni exstinct. drachmas sex. sem. staphisag. nitri præpar. aloes hepat. ana drachmas duas. rad. ellebor. alb. lapath. acuti tabac. Indici ana drahmam. camphoræ ol. spicæ ana semidrachmam. Misc. & cum cerâ f. unguent.

In pueris & corporibus tenerioribus ab argento vivo abstinendum. In his aqua lavendulæ & salviæ distillata satis est, si eâ laventur: estque remedium gratum & bonum. Item R. sem. staphisag. drachmas duas contunde parum, & infunde in aceti acerrimi uncijs duabus per noctem: deindè coletur, & locus ungatur.

In palpebrarum pediculis confert, si acetum scilliticum sumatur, & in eo parum aloës dissolvatur, atque hâc mixturâ palpebræ madefiant: huic alia nitrosa & salsa addi possunt. Imprimis opitulatur oleum spicæ, quod & visum roborat.

Pro chironibus peculiare est, ut acu pertundatur cuticula, ubi chirones latent, ut detur eis exitus: tum manus sæpè abluendæ vino vel

aceto, cui sal, alumen, nitrum additum sit. Vel fiat hoc decoctum: R. aq. fluvial. libras tres vini austeri libram. stercor. gallin. siccat. manipulum. coq. parum. huic decocto immittantur manus. Id scabiem vulgarem etiam brevi tempore sanat; & isti chirones sæpè cum scabie adsunt.

Ad pediculos inguinales commodum est hoc unguentum: R. axung. porcin. ol. laurin. sapon. nigr. ana semunciam. argent. vivi salivâ exstinct. scrupulum. myrrhæ aloës ana semidrachmam. sem. staphisag. scrupulos duos. sapon. Gallic. drachmas duas: in mortario redigantur ad formam unguenti. Non hìc multum argenti vivi miscendum; nam inde membrum virile torpidum redditur, atque ad venerem ineptum. Quod si incidit, oleo spicæ illinendus locus est, quo & pediculi pelluntur & vis redditur genitalibus.

Ad vermiculos capillorum: R. genistæ unciam, myrrhæ drachmas duas. aceti quantum satis. coq. parum & colaturâ pili illinantur. Vel R. sem. urticæ pulveris. maceretur in aceto, & eo pili madefiant. Vel urtica major coquatur in lixivio, & eo caput abluatur. Alij utiliter usi sunt lixivio communi, cui clavi ferrei rubigine obducti injecti essent, quo pili abluebantur.

CAPVT DECIMUM.

De achoribus, favis, tineâ, helcydrijs, psydracijs.

Quid achores, favi, tinea, helcydria, psydracia: unde oriantur. Non necessariò eis est conjuncta malignitas, contra Platerum. *Quomodò inter se distinguantur. Signa eorum prognostica. Elegantia & selecta remedia pro ipsorum sanatione proponuntur.*

HÆc omnia sunt manantia capitis ulcera vel pustulæ.

Achores quidem & favi seu ceria sunt ulcera seu ulcerosa tubercula capitis, in quibus apparent foramina, per quæ saniosum quid continuò effluit.

Tinea est ulcus capitis crustosum, cutem capitis erodens & fœtidum.

Helcy-

Helcydria sunt ulcuscula & pustulæ capitis, à quibus humiditas effluit aquoso sanguini similis.

Psydracia sunt exigua exanthemata in capite, similia vesiculis eminentibus in superficie.

Oriuntur hæc omnia ulcuscula ab humoribus excrementitijs serosis & acribus, aliquem tamen crassum succum sibi mixtum habentibus: Ij inter cutem capitis & calvariam congeruntur, diutiùsque retenti putrescunt, & deindè cutem erodentes eamdem certis in locis perforant.

Platerus illis humoribus perniciem quandam malignam etiam inesse existimat; eò quòd contagiosum infantibus sit malum. Sed sæpè nobis dictum & jam notum est vel tironibus, non omnia contagiosa esse maligna; uti neque contrà, omnia maligna esse contagiosa.

Isterum vitiosorum humorum causæ sunt vel internæ, scilicet mala viscerum constitutio: vel externæ, nimirum mala diæta, ut esus ciborum acrium & salsorum; conversatio & familiaritas cum ijs, qui similibus affectibus laborant.

Sed & lactis vel sanguinis menstrui impuritas causa est, si ab infantiâ malum est.

Achores, favi & pustulæ capitis adspectu noscuntur, uti & tinea.

Achores autem à favis distinguuntur, quòd in illis foraminula, per quæ sanies effluit, sint minutiora; in favis paulò patentiora.

Tinea adest, quandò apparent ulcera obducta crustâ; quæ modò viridis est, modò crocea, modò cinerea: sanies effluit modica, & quæ effluit, fœtet.

Manantia ista capitis ulcera liberant infantes à magnis morbis capitis, & à convulsionibus epilepticis: progressuque ætatis in ipsis sponte sanantur. Si tamen diu durent, maximè tinea, defluvia capillorum & areas efficiunt: imò & ipsum cranium materia acris aliquandò perrodit.

Si infanti nutricis vitio contingant hi affectus, aut etiam statim à primo ortu, vix sanationem admittunt; ac ne ea quidem procuranda, antequam puer eam ætatem attigerit, quâ curationem & medicamentorum laborem ferre possit.

Tineæ non solùm perdifficilis est sanatio, sed etiam, neglecta si fuerit, & inveteraverit, sanari ferè non potest: idcircò satius est, ab ipsius curatione abstinere, quàm cum dedecore sanitatem polliceri nec præstare: tametsi etiam sanetur, nihilominùs post se relinquit quandam capitis deformitatem ob areas seu pilorum privationem.

Pro

Pro curatione ante omnia est animadvertendum, an affectio magna, an parva sit; recens, an antiqua; benigna, an maligna. Si parva, recens, & benigna fuerit, neque corporis purgatione, neque medicamentis validioribus est opus: sed primo quoque tempore ad localia, & quidem leviora est veniendum. Si affectio fuerit magna, antiqua, mali moris, ideòque ab humorum vitio foveatur; tum ad totius corporis evacuationes & validissima localia est procedendum. Et quidem si homines robusti sint, purgandi primò sunt taliter ferè, qualiter illi, qui lue venereâ laborant. Deindè exhibeatur hoc decoctum: R. salsæ unciam. rad. chinæ semunciam. radic. cichor. drachmas quinque. hordei semipugillum. carnis vitulin. unciam. bulliant. in aq. com. libris octo ad consumt. mediet. tum R. dicti decocti uncias duodecim. rad. gramin. asparag. ana drachmas duas. agrimon. sonchi cap. ven. cuscutæ ana semipugillum. bull. ut remaneant unciæ octo pro duabus vicibus, mane scilicet & vesperi: reliquum sit pro potu ordinario. Intereà caput ungatur unguento, quod constat calce vivâ & ol. rosaceo. Alij laudant hoc: R. ol. laurin. unciam. lardi veteris drachmas sex mis. f. unguent. quo locus ungatur ter in hebdomadâ, & urinâ propriâ caput abluatur Efficacius est, quod recipit alumin. usti chalcit. ustæ ana semunciam. aristol. rot. virid. æris ana drachmas duas. picis navalis drachmam. pinguedinis anatis semidrachmam. butyr. antiquiss. semunciam. Mis. f. ung. Primò caput abluatur lixivio dulci: lotum siccetur: posteà inunctio fiat dicto unguento. Post tres dies eadem lotio & unctio repetatur. Quod cùm ter factum fuerit, tineæ evanescent.

In puerorum achoribus non facilè est aliquid adhibendum: si enim repellamus, maxima incommoda inde oriri solent. Debet ergò præscribi non repellens, sed evocans. Linatur caput oleo rapar. cui incoxit tabacum. Quæ inunctio antequam fiat, commode caput abluetur decocto rad. oxylapat. fol. malvæ absinth. sem. fœni græci cicer. lupin. fabar. in vino: vel decocto solius rad. bryoniæ in aquâ. Alij capiunt butyrum salsum in sartagine frixum, addunt camini fuliginem, & pauxillum aceti.

Ad achores & favos in pueris tenerrimis R. ciner. myrtillor. gallar. ana drachmam. tutiæ sesquidrachmam butyri vetusti loti aq. rosac. unciam. cineres aceto lævigentur, dendè misceantur ad ignem. In pueris grandiusculis: R. pulv. cort. granat. lithargyr tutiæ ana sesquidrachmam. ol. rosacei semunciam pingued. anser. aceto lotæ sesquiunciam. Mis. fiat linim. Quæ linimenta extendantur super linteum subtilissimum

enum priùs cerâ illitum: cera hæc facit, ne calor ulcerum usque adeò consumat medicamentum. Ad contumaces achores: R. succi helenij fumar. ana semunciam. axung. porc. decies lot. in aq. rosf. uncias tres: tutiæ præpar. gallar. ustar ana drachmas duas. Mis. f. unguent.

Ad tineam veterem & rebellem medicamentum efficax. R. succ. fumar. scabios. borag. oxylapath. aceti ana uncias tres. ol. antiq. libram. bulliant omnia in vase duplici ad consumtionem succorum & aceti. Deindè insperge sequentes pulveres: R. utriusque ellebor. sulfur. vivi chalcanth. auripigm. calcis vivæ alumin. gallæ ana semidrachmam. virid. æris drachmas duas. terantur & cribrentur omnia diligenter, tum misceantur cum dicto oleo, & addita picis liquidæ & ceræ q. s. f. ceratum: quo cooperiatur capitis pars malè affecta. Interim tamen quandò hoc gestatur, evacuandum est subindè corpus per pil. cochias, vel hieram Pachij, vel similia purgantia.

Sunt, qui hoc modo in tineâ tollendâ procedunt, & valdè tutò. Coquunt imprimis vitell. ovi ad duritiem: addunt mellis unciam, & simul coquunt ad linimentum molle. Hoc inungunt universam tineam emplastri modo, singulis 24. horis renovando, continuandoque ad dies 4. vel 5. postea lavant lixivio forti, in quo bullierit sat bona quantitas tartari: permittuntque caput per se siccari: quo facto tegunt caput vittâ; & post 24. hor. lavant sequenti lixivio: R. lixiv. com. libras quinque. ei incoque absinth. salviæ chamæmel. betonic. ana manipulum. rad. lapath. sesquiunciam rad. lappæ major. unciam. baccar juniper. semilibram. post ebullitionem unam atque alteram adde salis petræ uncias tres. alumin. unciam. vitriol uncias duas sulfuris uncias tres lithargyr. uncias sex. Eo lavetur caput; exsiccatum deindè inungatur aliquo ex suprà descriptis unguentis.

Forestus hoc laudat in tineâ quantumvis inveteratâ, & ab omnibus immedicabili judicatâ, modò universalia præcesserint & capitis lotiones: R. sulfur. semunciam. liquescat super ignem in patellâ terreâ: ita liquatum in mortarium æneum conjiciatur, pistillo semper ducendo. Tum adde butyri saliti liquati & cocti ad nigrorem. axung. porcin. liquatæ ana unciam. argent. vivi salivâ exstincti drachmam. vitrioli scrupulum. Hæc omnia in dicto mortario concutiantur, & pistillo continuo moveantur, donec frigescant, & in linimentum coëant.

Chirurgus quidam hoc unguento ad capitis scabiem & tineam feliciter utebatur: R. pingued. porc. semilibram. rad. enul. chelidon. ana unciam. sabinæ manipulum: omnibus contusis & coctis adde hunc pul-

verem, donec frigeſcant: R. nuc. moſchat. caryophyl. macis cinnam. ana drachmam croci ſemidrachmam. baccar. lauri ariſtol. rot. ana drachmas duas. ſulfur. drachmas tres. vitellos ovor. numero octo. mellis cochlear. Miſ. f. unguent: quo caput illinatur, priùs lotum urinâ.

Sed & hoc eſt expertiſſimum paſſim Amſtelredami: R. bacc. laur. rad. cavæ quantum vis. Miſce cum pice liquidâ: addendo butyrum vetuſtiſſ. & rancidum. pone ad ignem benè miſcendo, donec fere bulliat.

Elegans quoque & probatum eſt hoc unguentum, ſed non niſi præmiſſâ corporis purgatione utendum: R. lardi veteris ſemilibram. terebinth. alb. uncias tres lapid. medicamentoſi olei tartari ana drachmas ſex ſulfuris vivi ceruſſæ lotæ lithargyr. minij ana ſemunciam ellebor. utriuſque piper. long. tutiæ præp nihil alb. ana drachmas duas. Mixtis affunde ſuccor. depurat. rad. oxylap. ſcrophular. herb. fumar. ſcabioſ. cort. inter. virid. ſambuc. limon. ana uncias duas. coq. ad ſuccor. conſumt. poſt adde ſtyrac. liquid. cinnabar. factit. ana drachmas ſex. ol. laurin. juniper. ovor. ana ſemunciam. mercur. ſublim. ſeſquidrachmam. Miſ. f. unguent. Lapidis Medicamentoſi hæc eſt deſcriptio: R. vitrioli virid. ſemilibram vitriol. alb. uncias tres. alumin. uncias novem. ſalis petræ ſalis com. ana ſeſquiunciam. ſalis tartar. ſalis abſinth. artemiſ. cichor. perſicar. ſalis plantag. ana drachmas duas. ponantur in novâ ollâ vitreatâ. affund. modicum aceti roſac. coq. igne carbonum lento, ſæpiùs agitando. Ubi incipit ſpiſſari adde ceruſſæ Venetæ uncias tres bol. armen. uncias duas. diligenter miſceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit; quæ poſteà fractâ ollâ eximitur. Hujus ſolius lapidis uncia in librâ aquæ pluvialis vel fluvialis, non fontanæ, ſoluta, & poſt filtrationem ad hos malos affectus adhibita mirifica eſt.

Pſydracijs ſuccurrit unguentum ex ceruſsâ & ol. roſaceo. Vel. R. litharg. ceruſſ. ana ſeſquidrachmam. cretæ alb. ſulfur. ana drachmas duas. cum ol. myrtin. f. unguent.

Levia hæc mala, & quæ foventem cauſam intus non habent, ſed orta potiùs ſunt à ſudore & humore ſub capillis longis detento, à putredine acrimoniam acquirente, remedio ſiccante ſtatim ſanantur v. g. vitriolum aquâ diſſolvatur, eâ moderatione ut linguam non mordeat: eâ tepidâ cruſtæ madefiant, & ipſæ & ulcera ſiccabuntur.

H CAPUT

CAPVT UNDECIMUM.

De affectibus pilorum ciliarium.

Pilorum ciliarium affectus sunt phtheiriasis, inversio & incurvatio ad oculos, abundantia, defectus, color alienus. Eorum causæ: curatio. Nec canis lac, nec ranarum viridium sanguis pilos renasci prohibent.

Cilio seu tarso palpebrarum pili innascuntur recti, eamdemque semper servantes magnitudinem, & nigri vel subnigri.

Horum affectus sunt phtheiriasis, inversio ad oculos & incurvatio; abundantia nimia, defectus; & color alienus.

Phtheiriasis unde gignatur, diximus capite nono.

Pilorum incurvatio versus oculos oritur vel à palpebrâ superiore nimis laxatâ: vel quòd ipsimet pili vitiosè & tortuosè crescant ob malè constitutos cilij poros.

Abundant sive luxuriant pili aliquandò duplici ordine, aliquandò multiplici, & veluti quâdam acie. Causa est humor copiosus, sed minimè mordax, ad cilia fluens, pilosque alens & augens.

Defectus & defluvium ciliarium pilorum fit ex vitiosis & acribus humoribus ad cilia allapsis,& pilorum radices erodentibus.

Color alienus est albor, qui visui incommodat, quòd non satis pupillam obumbret: fitque ob præsentiam materiæ phlegmaticæ in radice pilorum situm seu mucorem quasi contrahentis, uti in canitie: vel ob cutem vitiligine albâ laborantem.

Affectus hi omnes per se noti sunt. Nec sunt contemnendi, quia plurimùm incommodant:

Phtheiriasis quomodò tollatur, expositum est capite nono. Præter quæ hoc unguentum apprimè est commodum: R. unguent. rosac. Mes. semunciam. sulfur. vivi sem. staphisag. ana grana quindecim. hydrargyr salivâ exstinct. semidrachmam. f. unguent. quo palpebræ illinantur priùs lotæ decocto staphisag. betæ absinth.

Prolapsus seu laxitas palpebræ superioris curatur præmissis generali-

 bus,

bus, purgatione, cucurbitulis cum ſcarificatione, apophlegmatiſmis, cauterio in cervice ad diverſionem humoris: tum fiat fotus ex majoranâ, flor. chamæmel. & melilot. cumino additis balauſtijs & malicorio. Quibus ſi non tollatur malum, chirurgiâ eſt opus.

Ubi pili ſuperflui oculos pungunt, ſive pauci ſint, ſive multi, ſunt evellendi inſtrumento illo chirurgico, quod *volſella* vocatur; ſed ita ut toti evellantur: nam ſi in medio abrumpantur, magis pungunt, quàm dum ſunt integri. Poſteà loco, è quo pili evulſi ſunt, adhibenda ea, quæ pilos renaſci prohibent; ut rubigo ferri ſalivâ jejuni hominis ſubacta. Vel ℞. rad. mandrag. drachmas ſex. ſem. perſicar. ſemunciam. camphor. ſemiſcrupulum. aceti cochlear. Miſ. in mortario, & ſuccus exprimatur, quo pori, è quibus pili evulſi ſunt, illinantur. Corrodentia, quæ aliqui hìc ad exſtirpandos pilos uſurpant, non probo, quia periculum inferunt oculis.

In pilorum ciliarium luxurie damnat experientiſſimus *Montanus* in *conſil.* eam chirurgiam, quæ à practicis ſolet proponi. Sanè infeliciter eam quibuſdam ceſſiſſe animadverterat. Suadet verò, ut evellantur potiùs à perito quopiam vulſore: tum poſt evulſionem frequenter illinatur locus lacte canis; hoc enim eſſe celebratiſſimum remedium apud antiquos, ne pili recreſcant. Idem remedium omnes paſſim repetunt & prædicant recentiores: adduntque alterum à veteribus proditum & commendatum, ranarum viridium ſanguinem. Sed enim à *Galeno* diſcere poterant, in utroque mendaces vel falſos eſſe veteres; quippè facto periculò neutrum verum ſe comperiſſe monet *lib. 10. de ſimpl. med. fac.* Candidè *Ioan. Arculanus* ſcribit *comment. in 9. Rhaſ. ad Almanſ.* in hæc verba: *dicant omnes quidquid velint, ego adhuc non inveni medicinam in hâc re conferentem.*

In pilorum defluvio, præmiſſis univerſalibus, illinantur cilia hoc unguento: ℞. ol. lini ſemunciam ſevi hircin. pingued. urſi ana drachmas duas. ſtercor. murium dactyl. uſtor. ana ſemidrachmam. Miſ. Vel torretur muſcerda, & pulvis commiſcetur melli. Aut uruntur avellanæ, ac cinis pinguedine urſi vel capræ ſubigitur pro linimento. Ante illitionem rectè adhibetur fotus ex decocto adiant. & polytrichi. Vide ſis, quæ ſuprà propoſuimus ad capillorum defluvium valere capite quarto.

CAPUT

CAPVT DVODECIMVM.

De barbæ affectibus.

De vocabuli barba *etymologiâ multorum conjecturæ. An inter barbam & barbas discrimen ponendum; Barba decet viros graves & venerabiles.* Adrianus *Imperatorum primus barbam aluit. Quæ sit causa tardioris barbæ ortus. Quæ barbam citius promi faciant.*

Barbam aliqui dictam putant quasi *virarbam*: ineptè: quid enim ibi *arba*? Scribit tamen *Isidorus* barbam sic dici, quòd virorum, non mulierum sit: forsan respexit, quòd *baro* virum notet; undè Hispanis est *varo*. Non rectiùs illi, qui *barbam* sic nominatam autumant; quòd eam barbari prælongam ferre consueverint. *Becmannus* ait sic dici à βαρύ, id est, *grave*: quod etymon tribuit *Valentino Hartungo*. Sed pilis à pondere nomen esse impositum, non est verosimile; quamquam fortassis aliò respexerit *Valentinus*; nempè quòd barba gravitatem atque auctoritatem conciliet. Quidni verò statuamus *barba* esse nomen primogenium?

Ponunt Grammatici discrimen inter *barbam* & *barbas*; illam hominis, has pecudum esse censent. Sed *Plinius* de hircis in singulari usus: *rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitigari: eâdem præcisâ non abire eos in alienum gregem.* Ac de pluribus hominibus rectè *barbas* in plurativo tribui docet illud *Silij Italici*:

Spectabantque viros, & læta & tristia ferre
Indociles; nunc propexis in pectora barbis
Verrere humum.

Plinius quoque *barbas* vocat *lib. 9. cap. 30.* Pro *barbâ* dicitur etiam *barbitium*. Ut à *servus servitium*; à *capillus capillitium*; à *satelles satellitium*; à *lanâ lanitium*; sic à *barbâ barbitium.*

Confert barba ad dignoscendam corporum maturitatem & sexus discrimen; facit etiam ad decorem virilitatis & roboris, in eâque pulchritudinis & ornamenti argumentum est potissimum. Ideò vetustissimâ consuetudine receptum erat, viros graves, constantes, justi tenaces, & probitate morum atque sapientiâ præstantes barbam alere. *Aarona* principem sacerdotem propexâ barbâ venerabilem facit sacra historia. *Socratem* virum sanctissimum & mortalium sapientissimum oraculo judicatum,

tum, *barbatum magistrum* appellat *Iuvenalis*. Æsculapio Medico barbam addidit Græcia, ad auctoritatis testimonium. Idem ille pilosus oris decor, efferis Gallis, qui duce *Brenno* Romam occuparant, non admirationem modò, sed & metum incussit non mediocrem; quandò irrumpentes in atria Quiritium, reverendos prolixâ & incanâ barbâ senes in curulibus sellis sedentes, ceu numina quædam suspexere primò, mox post acceptam à *M. Papyrio* injuriam in omnes desæviere. Auctor est *Æneas Silvius*, fortissimum Litvaniæ Ducem *Vitoldum*, populares suos edicto tonderi jubentem, sibi tamquam majestatis insigne barbam intonsam retinuisse. Romanorum tamen posteà civium ac Principum consuetudo fuit, ut mentum raderent. Hic mos ad *Adriani* usque tempora, qui primus barbam nutrivit, invaluit: quod & alij posteà sunt imitati, ut *Dio* refert. Ideoque omnes Imperatores ad *Adrianum* usque rasi; reliqui barbati conspiciuntur.

Itaque cùm barba in viris ad auctoritatem conciliandam faciat; si qui ea ætate sunt, quâ solet barba alijs excrescere, nec tamen barbati sunt, rideri solent. Quapropter Medicorum consilium petunt, ut possit barba accelerari.

Habet autem tardior barbæ ortus pro causâ maximè cutis menti densitatem; & sunt homines frigidioris temperamenti, quibus barba tardè oritur.

Qui lasciviente pruritu & venereo prolubio nimis approperant concubitum, præmaturè barbam promunt. Undè illustratur *Martialis* illud *lib.* 11.

Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba.

Adjuvatur & *Apuleius* in magiâ: *investem puerum accepisti, vesticipem illicò reddidisti.* Ubi *vestis*, sicut & apud alios legitur, est *barba.* Est mirus cum barbâ genitalium consensus: & adnotarunt nonnulli, si ipsa sola canescat, id arguere partium generationi dicatarum imbecillitatem.

Sine veneris certamine barbam provocat, si sæpè mentum scalpello radatur: deindè lavetur frequenter decocto abrotani cap. ven. polytrich. rosmar. Posteà illinatur hoc unguento: R. olei, in quo artemis. & abrotan. sit coctum, uncias duas. cineris apum vel vesparum drachmam. muscerdæ scrupulum. mellis unciam. ladani drachmas tres pingued. ursi q. s. f. unguent.

Mentum barbatum potest laborare pilorum defluvio, alopeciâ, & phtheiriasi, de quibus cùm antè egerimus, nihil hîc dicere necesse est.

CAPUT

CAPVT DECIMUM-TERTIUM.
De affectibus unguium.

Etymon unguis. Quomodò differat ab ungulâ. Vivunt ungues, similiter ac pili: idque auctoritate Hippocratis *&* Galeni *probatur. Venulæ in unguibus videri possunt. Vsum unguium eleganter exposuit* Galenus. *Vitia unguium & eorum curatio.*

Unguis venit ab ὄνυχος genitivo Græco unguem significante. Multa enim ab obliquis descendunt. χ conversum est in G. quomodò ab ἄγχω est *ango*; à χαλβάνη *galbanum.*

Quâ ratione *unguis* & *ungula* differant, quidam non satis videre Gramanatici. *Vnguis* est in ijs, quæ digitos habent: *ungula* in illis, quæ solidos vel bisulcos habent pedes. *Plinius* initio cap. 45. lib. 1. *ungues clausulæ nervorum summæ existimantur. Omnibus hi, quibus & digiti.* Et mox de elephanto inquit: *huic informes numero quidem quinque, sed indivisi ac leviter discreti, ungulisque, haud unguibus, similes.*

Ungues, similiter ac pilos vitâ donatos esse, verâque nutritione augescere, probabile est: eademque argumenta huc faciunt, quæ suprà pro pilis adduxi. Consentit huic opinioni *Hippocrates* lib. de alim. *in pilos,* inquit, *alimentum, & in ungues, & in extremam superficiem intrinsecùs pervenit.* Item *Galenus* lib. de anat. adminis. cap. ult. *pari modò sanè & ungues ligamento quodam externo internodij termino coniunxit: symphysi verò carni cutique intrinsecùs universim, extrinsecus toti radici adnasci fecit. Cæterùm in radicem ipsam non modò nervus, sed etiam arteria venaque porrigitur; undè sensum, vitam, & alimentum, sicut aliæ partes, accipiunt.* Ibidem: *ungues arteriæ & venæ nervoque propter radicem iunguntur, sensus, vitæ & alimenti gratiâ: ossi verò & cuti committuntur, ne suspensi vacillent: partem enim oportebat & hos esse toti animanti cohærescentem, sicut alias quoque.* Istas venulas in digitorum unguibus inter se distinctas, ac mirificâ arte dispositas perspexit microscopij sui beneficio *Franciscus Fontana* Neapolitanus.

Officium & utilitatem unguium disertè accuratèque explicat *Galenus* lib. 1. de usu part. cap. 7. & 8. ostenditque *Platonem* & *Aristotelem* negli-

negligenter de eorum usibus locutos fuisse. Qui *Galeni* locus dignus est ut adeatur videaturque.

Vitia porrò unguium sunt: *inæqualitas; craßities, rugositas, scabrities, color mutatus, curvatura, fissura, casus, pterygium.*

Ungues inæquales, crassi & rugosi evadunt ob succum, quo ungues nutriuntur, copiosiùs adfluentem. Id quod fit ex validis laboribus, quibus ungues circa radices commoventur, ideòque alimentum copiosius suscipiunt.

Scabrities unguium fit ex humoribus vitiosis & excrementitijs, præsertim melancholicis, alimento unguium sese permiscentibus.

Malè colorati sunt ungues, vel quia subjecta unguibus caro malè colorata est: vel quia ipsorum unguium alimentum vitiosum & tali colore præditum est; à quâ causâ oriuntur & maculæ illæ albæ exiles; à pituitâ scilicet crassâ alimento sese admiscente. Aliquandò ex contusione sanguis sub unguem effunditur, & per unguem tralucens colorem rubrum vel nigricantem parit.

Fissura unguium plerùmque à causâ externâ venit, ut à vulneribus: aliquandò ab humorum malignitate in lue vereneâ & leprâ.

Casus unguium fit ab acribus humoribus radices unguiũ erodentibus. Sic post ulcera & vulnera circa radices unguium, decidere solent ungues, pure eorum radices exedente. Ita aliquandò post febres malignas & pestilentes deciderunt ungues, & post venena quędã sumta, & in lue venereâ.

Pterygium est incrementum carnis partem unguis operiens: sequitur sæpe paronychiam, vel aliud ulcus circa unguem.

Crassities, inæqualitas & rugositas unguium si à validis laboribus orta est, emendatur cessante illâ causâ. Nam progressu temporis unguibus illis crassis exerescentibus & resectis, meliores alij succedunt.

Scabrities unguium tollitur abrasione: dein impositione hujus emplastri: R. resinæ drachmas duas. terebinthin. drachmam. ceræ novæ sevi hircin. ana drachmas duas & semis mastiches scrupulos quatuor thuris drachmam. Misc. f. emplast.

Color unguium si mutatus sit ob contusionem: R. sagapeni q. v. misc. in mortario cum oleo nucum, ut fiat emplastrum, quod superponatur.

Si unguis nimium incurvatus sit, & subjectam carnem pungat; quod non rarò fit in pedibus, caro imprimis superflua tollenda insperso alumine usto, vel præcipitato: posteà unguis, qui carni insedit, resecandus.

Ad pterygium consumendum valet unguentum ægyptiacum, alumen ustum, præcipitatum.

FINIS.

INDEX.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

O

P

Q

R

S

Temporum

T

V.

FINIS.